DISSERTATIO
DE

DONO NUPTIALI

vom
Braut-Taffel Gelde /

Quam

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO
U. J. D. & Prof. Publ.




ad d. Maj.

In Auditorio JCTORUM

exponit

AUTOR
JOHANN GEORGIUS Keyßler.
Graizâ Variſcus.

JENÆ, Typis GOLLNERIANIS ANNO 1680.



J. J.

PROOEMIUM.

MAtrimonia ubivis ferè locorum maximô semper in pretiô habita, multisque encomiis pariter ac præmiis decorata fuisse, quotusquisque historiarum non planè ignarus, est, qui nesciat? Quod si enim in varias, easque vel extremæ barbariei deditas gentes oculos deflectimus, ubivis ferè singularia matrimonium contrahentium præmia sequi videmus. Ut hinc adeò nemini prorsus mirum videri debeat, quòd in Jure nostro tot favores, tot immunitates, tot privilegia novis conjugatis concessa reperiantur. Et quidem non immeritò. Fons enim atque origo humanæ societatis optimo sanè jure matrimonia vocantur, quibus immortalitas quodammodò artificiosè humano generi paratur, ac Respublicæ optimâ ratione constituuntur. *Nov. 140. pr.* Et ab his nec mores nostratium recessisse, apertissimum cuivis esse potest; Id quod sanè *dona nuptialia*, ut cætera jam nunc tace-

am, ſufficientiſſimè teſtantur, quæ, quàm largiter novis ſponſis quotidiè offerri ſoleant, longiori deductione opus haud erit. Et de his ipſis donis nuptialibus, cùm poſitiones quædam exercitii locô conſcribendæ eſſent, nonnulla in medium proferre conſtitui, quoniam eorum materia haud inutilis, ſed frequens omninò eſt, & de quâ haud raró controverſiæ incidere ſolent graviſſimæ. Interim Tu L. B. ſi quæ minus accuratè elaborata offendis, materiæ partim difficultati, juvenili partim ætati tribue, quippe quæ melius ſe informantem lubentiſſimè auditura ac ſecutura eſt. Te autem, benigniſſime Deus, ut cœptis clementiſſimè aſſiſtas, obnixiſſimè rogo. Eſto igitur

CAPUT I

DE

ORIGINE ATQUE ETYMOLOGIA DONI NUPTIALIS.

SUMMARIA.

§. I. Donorum nuptialium origo antiquiſſima eſt & apud Athenienſes uſitata. II. Tres erant dies, intra quos Sponſalia ac Nuptiæ conſummabantur. Tertio die munera nuptialia deferebantur. III. Romanis non fuerunt incognita. IV. Nec Judæi ea ignorarunt. V. Unde donum deſcendat. VI. Quid donum ſignificet. VII. Quid Nuptiale. VIII. Heìc agitur de donis iſtis, quæ ab invitatis convivis ſponſo ſponſæve offeruntur. IX. Quomodo aliàs vocentur ejusmodi dona. X. Quid ſit donum nuptiale.

§. I. Ut

§. I.

VT hinc ordine procedamus, brevibus originem donorum nuptialium attingere lubet. Eam autem antiquissimam esse omninò certum est; quô tempore verò, & apud quas gentes primùm cœperit, adeò præcisè dici vix poterit. Quod si tamen in amœnissima historiarum vireta paulisper exspatiamur, ea jam dudum in usu fuisse, facilè deprehendimus. Apud *Athenienses* certè absque dubiô olim usitatissima fuisse, vel ex Suidâ constat. Testatur enim ille; postridiè nuptiarum à sponsæ Patre tàm sponsæ quàm sponso soleñi pompâ mitti ea consvevisse, eamq; pompam hujusmodi fuisse, ut puer præcederet, albâ veste facem incensam ferens, hunc sequeretur mulier canistrum gestans, cæteris ordine sequentibus familiaribus, qui aurum, patellas, lecticas, pectines, lectos, sandalia, thecas, pyxides unguentarias, interdum etiam dotem sponso unà offerrent. Lubet ipsius Suidæ verba huc adscribere, ut eò melius de hâc re constare possit. Inquit autem ille: καλεῖται δ' ἐπαύλια, καὶ μετὰ τὴν ἐχομένην ἡμέραν τῶν γάμων παρὰ τοῦ τῆς νύμφης πατρὸς δῶρα φερόμενα τῷ νυμφίῳ καὶ τῇ νύμφῃ ἐν πομπῆς σχήματι. Παῖς ἄρ ἡγεῖται, χλανίδα λευχὴν ἔχων καὶ λάμπαδα καιομένην, ἔπειτα μετὰ τοῦτον κανηφόρος. Εἶθ' αἱ λειπαὶ ἀκολουθοῦσιν ἐφεξῆς τῷ νυμφίῳ φέρουσαι χρυσία, λευκαΐδας, σμήγματα &c. καὶ τὴν προῖκα ἅμα τῷ νυμφίῳ φέρουσιν. Hottomann. *d. Ritu nupt. c. 14. n. 4.*

§. II Erant nimirùm tres dies, intra quos Sponsalia ac Nuptiæ consummabantur. Dies primus προαύλια nuptias anteibat. Dies secundus ἀπαύλια lat. decubatio, nuptiis sacer erat, quô in soceri ædes sponsus transibat; in illis enim nuptiæ peragebantur. Tertius dies vocabatur ἐπαύλια, quô munera nuptialia à Sponsæ parentibus, & ab aliis ad novos sponsos deferebantur, teste Jul. Polluc. *L. 3. c. 3.* D. Joach. Hildebr. *d. Nupt. veter. Christ.* Hinc Suidæ *loc. cit* ἐπαύλια pro ipsis hisce muneribus, quæ novis sponsis postridiè nuptiarum mittebantur, veniunt, add. Cypræ. *d. Sponsal. p. 1. c. 1. §. 2. n. 5.* Hottom. *l. c.*

§. III. *Romanis*, cùm illi aliàs semper luxuriæ ac liberalitati studerent, nec hæc dona incognita fuisse ex facili colligere licet. Ultima

ma sanè nuptiarum die, quem *Repotia* ab iteratis poculis vocabant, à cognatis ac propinquis largissima novis nuptis munera oblata fuisse ex antiquitatum Scriptoribus constat. Extant sanè vestigia illorum tàm in Jure nostrô Civili, quàm apud alios Scriptores Romanos, sat luculenta. Meminit munerum horum Cajus in *l. 13. §. 2. d. administr. & per. tut.* Et Ulpianus *in l. 1. §. 5. ff. d. tut. & rat. distrah.* refert, Labeonem scripsisse, si munus nuptiale matri pupilli miserit tutor, non eum pupillo imputaturum. Et hæc absque dubiô intelligenda sunt de muneribus quæ à soceris eorumque familiis, cognatis & propinquis, die repotiorum novis nuptis mitti solebant. Meminit prætereà eorundem *Terentius in Phormione, act. 1. sc. 1.* dum dicit:

Herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem, ei credo munus hoc corraditur.

Svetonium etiam cò respexisse certissimum est, dum scribit: Augustum legata, vel partes hereditatum à quibuscunque parentibus relictas sibi, aut statim liberis eorum concessisse, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ vel *nuptiarum*, cum incrementô restituisse. Eoque videtur Paulus *Sentent. l. 2. tit. 21.* respexisse, dum dotem vel antecedere, vel subsequi matrimonium dicit, & ideò aut ante nuptias, aut post nuptias dari posse. Plerumque enim dos, quæ post nuptias dabatur inter cætera munera, repotiorum die, uti ex Suidæ l. cit. constat, offerri solebat. vid. Jac. Ræyard. *Conjectan. l. 3. c. 11.*

§. IV. Nec *Judæos* olim ea ignorasse, ex exemplô Christi *Joh. 2. v. 7. 8.* colligere licet. Ipse enim humani generis Servator ad nuptias invitatus amplissimis sponsum sponsamve muneribus donare voluit. Quod & in reliquis Judæorum nuptiis obtinuisse verisimile omninò est. Et hic quidem antiquissimus offerendi doni nuptialis modus etiamnum, uti constat, apud nos in usu est, & constantissimè, præsertim à tenuiori plebeculâ, observatur. Ræyard. *l. c.*

§. V. Ad *definitionem* jam properamus, cum illa quasi fax & anima sit totius tractationis. Est autem illa ex Philosophorum traditis vel *nominis* vel *rei*. Sed de nominali verborum ac terminorum in rubricâ occurrentium explicatione non adeò solicitus

ero,

ero, cùm illam cuivis notam esse autumem. Quis enim nescit, vocabulum *Donum* dici à donando *l. 194. ff. d. V. Sign.* Quidam tamen illud malunt deducere à Græcô δῶρον, quia Veteres illud propriè donum appellabant, quod liberalitatis exercendæ causa actutum & statim in manum quasi dabatur. Undè & Plinius *Lib. 33.* scribit, Græcos antiquos δῶρον appellasse palmum, & ideò δῶρα vocasse munera, quia manu darentur. Calvin. *Lex. Jur. voc. Donatio.* Moventur ad hoc etiam per *l. 35. §. 1. ff. d. mort. caus. donat.* ubi pro dono doro legendum esse putant. Calvin. *l. c.* Verùm dicitur ibi saltem, quod, uti apud Græcos se habeat δῶρον καὶ δωρεῖσθαι, ita & apud Latinos se habere vocabula donum & donare.

§. VI. Est autem *donum* generale vocabulum, & significat omne id, quod nullâ necessitate, jure, officio cogente, sed spontè præstatur *l. 214. ff. d. V. S.* ita ut etiam munera secum involvat *l. 194. ff. eod.* Quâ verò occasione non immeritò quæsiveris, cùm donum ac munus in jure nostro passim sibi opponantur ut in *l. 6. §. 3. ff. d. Officio Procons. l. 18. ff. d. Off. Præs. l. 47. d. oper. libert. l. 37. pr. d. bon. libert. l. 44. §. 1. d. liber. caus. l. 6. §. 2. ff. d. L. Jul. Repetund.* Ulpianus sanè *d. l. 194. d. V. S.* donum Genus, munus verò Speciem facit. Contrà verò Marcian. *l. 214. ff. eod.* donum à munere ita distinguit, ut illud dicatur necessarium; hoc verò voluntarium sive spontaneum, tandemque tota res ita invertitur, ut munus Generis loco sit; donum verò Speciei vicem obtineat. Hottomannus equidem *in voc. Donum*, violentam textui manum infert, ita ut particulam *non* suô locô movendam, & ad vocab. donum referendam esse putet, ita: *Sed in summa, in hoc ventum est, ut quodcunque munus, id & donum accipiatur; at non quod donum fuerit, id munus rectè dicatur.* Calvin. *l. c. voc. Donum.* Sed rejectâ hac correctione optimè JCTos Ulpianum ac Marcianum conciliari posse putamus, si dicamus, Marcianum hoc voluisse, quod non semper munus donum significet, sed aliquando & onus, si ad necessitatem referatur; sin ad liberalitatem, munus puta, doni Speciem, vid. *l. 18. ff. d.* *?.* ibique Gœdd. *axiom. 1.*

§. VII. Vocabulum *nuptiale* quod attinet, derivatur illud à nuptiis, quas vel à nubendo i. e. velando, vel à Nub & Nuba, quod germinare, augere & fructificare Hebræis est, appellatas fuisse

uisse, nobis perindè erit D. Eckolt. *ad ff. tit. d. ritu nupt. §. 1.* Cypr. *d Sponsal. c. 5. § 33. num. 4. & 5.* Aliam derivationem tradit Hottom *d. rit. nupt. c. 15. n. 6.* qui nuptias à græco νύμφη dictas esse vult, quam derivationem nos suo Auctori relinquimus. Nuptiale igitur nobis idem est ac quod in nuptiis adhibetur, seu ad nuptias pertinet Sic dicitur carmen nuptiale, currus nuptialis, faces nuptiales, convivium nuptiale. Calep *Lex. voc. Nuptialis.*

§. VIII. Varia autem dona, quæ nuptiarum tempore offerri solent, nuptialium nomine venire possunt; sic datur donatio propter nuptias, it. dona, quæ crastinô nuptiarum die, quam primum depositô flammeô sponsa visendam se præberet, à sponso ei dabantur, quæ aliàs vocantur θεώρητρα, ἀνακαλυπτήρια ὀπτήρια, προσφθεγκτήρια Hottom *l. c. c. 8.* Huc quoque referri possunt arrhæ ac sponsalitiæ largitates, Item morgengaba, quæ alterô die nuptiarum à marito uxori pro flore virginitatis mittitur. Carpz. *J. F. p. 3. c. 33. def. 20.* Verùm nobis hac vice sermo tantùm erit de iis donis, quæ a cognitis & invitatis convivis sponso sponsæve offeruntur.

§. IX. Vocantur autem ista aliàs etiam munera nuptialia vid. §. 3. *h. cap.* item nuptalitcia *l. 194. ff. d. V. S.* it. xenia nuptialia Græcis δῶρα ἐπαύλια. Germanis dicuntur Hochzeit-Geschencke / Braut-Taffel-Gelder. Besold. *Thesaur. Pract. voc.* Hochzeit-Geschencke.

§. X. Describimus igitur donum nuptiale, quod sit *res quævis non prohibita, quæ ex merâ liberalitate, nullô jure cogente à propinquis ac cæteris invitatis convivis novis sponsis nuptiarum tempore offertur.*

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE ATQUE SUBJECTO DONI NUPTIALIS.

SUMMARIA.

§. I. Causa efficiens remota est benefica donantis voluntas, quæ tamen non præsumitur sed probanda est II. Propinqua est consensus donantis & novorum sponsorum. III. Qui aliàs donare non possunt

sunt, nec dona nuptialia distribuere possunt; licet festivitati nuptiali interesse queant. Et tales vel sunt Natura vel Lege. Natura pupillus ac minores IV. Furiosi. V. Prodigus VI. Quid de Senibus dicendum? VII Lege prohibetur Filius familias. VIII. Olim servi IX. Vasallus feudum dono dans X. Offerunt regulariter dona nuptialia convivæ invitati, sive præsentes sint, sive absentes. Q. An mulier ad nuptias invitata etiam aliquid de bonis dotalibus consentiente marito donare possit XI. Excipiuntur ab his Pastores, qui donum offerre non necesse habent. XII. Subjectum passivum sunt sponsus & sponsa. Nec interest, an soli sponsæ an sponso dona ista tradita sint XIII. Dissentiunt quidam XIV. In foro Elector. Saxonico ea res dubium non habet, quòd nempe ea, quæ in nuptiis sponso ac sponsæ donantur utrique simul acquirantur. XV. Q. An Dona nuptialia magis sint paraphernalia, quàm dotalia?

§. I.

C*Ausam efficientem* doni nuptialis *remotam* statuimus beneficam donantis voluntatem; quæ tamen non præsumitur, nisi probetur Wesenb. *ad ff. d. donat. n. 4.* Hinc si sponsus asserat, sibi ab aliquo doni nuptialis locô quid traditum fuisse; alter verò se non donasse, sed commodasse saltem ad melius instruendam nuptiarum pompam dicat, sine dubio sponso commodatum neganti & donationem asserenti incumbet probatio. Cum aliàs donatio sit facti, ac nemo suum jactare præsumatur *l. 25. ff. d. probat.* imò fatuitas potius præsumenda sit Bald. *in l. generaliter C. d. non num. pecun.* Et ideò, ubi alia, quàm donationis conjectura capi potest, in dubio præsumtio aut conjectura donationis sumenda non est Dan. Moller. *Semest. L. 3. c. 37. n. 1.*

§. II. Causam efficientem *propinquam* dicimus consensum donantis & novorum sponsorum. Invitus enim nemo donat *l. 27. ff d. donat. l. 82. ff. d. R. J.* neque ei rectè donatur *l. 19. §. 2. ff. d. donat. l. 69. ff. d. R. J.* Wesenb. *in ff. d. donat. n. 4.* Magnif. Dn. Struv. *Exerc. XL. th. 8.* & hinc nec ignorans donare præsumitur *l. 10. C. d. donat.* nec ignoranti benè donatur, nisi adsit, qui accipiat donationem eamque ratum habeat *l. 10. & 19. §. 2. ff. eod.* Eckolt.

d. donat. §. 4. Non ergò valet hæc donatio aliter, quàm si sponsus ac sponsa, quibus donatur, sciant sibi donatum, eamque donationem ratam & gratam habeant. Unde inter absentes non nisi per nuncium vel aliam personam ad id destinatam, vel per epistolam fieri potest hæc donatio, dummodo donatarii certiorati eam acceptent *arg. l. 10 ff. d. donat. l. 29. C. eod.* Et hæc procedit, etiamsi post consummatum matrimonium & peractas nuptias nuncius demum advenerit *arg. l. 5. pr. ff. d donat. int. vir. & uxor.* Quod si tamen alicui absenti ac nuptias celebranti donum nuptiale quis mittat, pœniteat verò antequam ad locum destinatum perveniat, quæritur, an revocare illud possit? Et arbitror, si nondum acceperit Sponsus, optimô jure donantem donum revocare posse *arg. l. 38. ff. d. acquir. possess. & per ea*, quæ habet Magnif. Dn. Struv. *l. c.* & Carpz. *libr. 5. Respons. 62.*

§. III. In præcedente thesi dictum fuit, consensum donantis ac novorum sponsorum requiri ad legitimè transferendum donum nuptiale, ex quô facilè apparet, eos qui consensum non habent, uti aliàs donare non possunt, ita nec dona nuptialia distribuere valere, quamvis benè nuptiatum festivitati interesse queant. Nonnullis autem via ad donandum vel à natura, vel lege est præclusa. Naturâ (1.) Pupillis ac minoribus, utpote, qui nihil ex quo conditio eorum fit deterior, sine tutoris aut Curatoris autoritate gerere possunt *l. pupillus 5. §. 1. ff. d. autor & cons. tut. vel Curat.* neque enim scire neque decernere talis ætas potest *l. pupillus. ff. d. acquir. hered.* Quid, si autoritate tutoris, pupilli nomine dona nuptialia sorori vel etiam matri aut cæteris cognatis data sint anne tunc pupillo imputari possunt? Et non imputari ea pupillo posse arbitramur, sed regressum habet pupillus ad tutorem, qui ea restituere tenetur *l 13. §. 3. ff. d adminift. ac peric. tutor l. 1. §. 5. ff. d. tut ac rat. distrah.* Quibus obstare videtur *l. 12. §. Cum tutor ff. d admin. & per. tut.* ubi tutor dona parentibus cognatisve mittere jubetur. Sed facilis est responsio, cum textus ille loquatur de muneribus solennibus. Munera nuptialia autem non fuisse solennia ex *d. l. 1. §. 5. ff. d tut. ac rat. dist.* satis apparet, quoniam hæc magis sunt voluntaria, illa verò necessaria Eckolt. *ad ff. tit. d admin. & per. tut. §. 4.* Gothofred. *ad l. 12. §. 3.*

eodem

eodem. Solennia enim munera tantùm dicebantur; quæ natali die nec non dona quæ Calendis Martiis, quas matronæ solennissimè celebrabant, quòd eo die Junonis Lucinæ ædes coli cepta sit, uxoribus offerebantur vid. Ræard. *Conject. l. 3. c. 4.* Moribus tamen ab istâ sententiâ in pronunciando pro varietate circumstantiarum receditur.

§. IV. II. *Furiosis, arg. l. 23. §. 1. ff. d. donat.* Referuntur autem illi vulgò ad duas classes. Unam eorum esse asserunt, qui continua mentis alienatione omni plane destituti sunt intellectu *l. 14. ff. d. offic. præs.* Alterum eorum, qui dilucida furoris intervalla habent *arg. l. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. l. 6. d. Curat. furios.* De primæ classis furioso facilè constat eum hautquaquam novis sponsis donare posse *l. 23. §. 1. ff. d. donat.* De furioso verò alterius classis omninò affirmandum est, eum nuptiis interesse, ac munusculum offerre posse, modò in hisce intervallis donationem fecerit. Cessante enim tunc caussâ, cessat effectus *arg. l. 9 C. qui test. fac poss.* ad *d.* Magn. Dn. Struv. *Exerc. VI. th. 37.* Idem dicendum de mente captis.

§ V. III. *Prodigis* cum neque rationem, neque mensuram expensarum habeant, meritò quoque hæc interdicitur donatio, quia rerum administratio ipsis interdicta est *l. 6. ff. d. Verb Obl.* Arnold. de Reyger *in Thesaur. Jur. voc provig.* ne post vires patrimonii dilapidatas vitam in egestate peragere cogantur. Hinc in Jure nostrô habentur pro furiosis in administratione bonorum, quoniam res suas rectè disponere nequeunt *l 1. ff. d. Curat. furios. vel al. extr. min. dand.* Quod si tamen ante interdictionem bonorum donum nuptiale dederint, ea nequaquam repetere possunt.

§. VI. Sed quid de *Senibus* dicendum, an & illis facultas hæc deneganda? Distinguendum puto inter senes illos, qui non corpore solùm, sed & animi viribus consenuerunt, quique non secus ac minores judicii infirmitate laborant, ut adeò delirium quoddam ac pueritia accedat, & his omninò facultatem pro lubitu munera nuptialia distribuendi denegamus *arg. l. 16. C. d. donat.* Non tamen idem sentiendum de his senibus, qui, licet ætate graves, animi tamen atque judicii robore nulli juvenum cedunt, & his senectus honori est, eorumque donatio omninò firma eoque acceptior esse debet *d. l. 16. & l. 3. pr. qui testam fac. poss.*

§. VII. *Lege* prohibentur (α) *Filiusfamilias* in peculio profectitio absque consensu Patris *l. 7. pr. & §. 2. ff. d. donat. l. 28. § f. d. pact. l. 1. §. 1. ff. quæ res pign.* quem tamen consensum non propter personæ conditionem, sed propter qualitatem rerum, quarum Pater plenam habet proprietatem, requiri tradit Eckolt. *ad ff. d. donat. §. 5.* Interim tamen non prohibetur tàm ratione peculii castrensis vel quasi *l. qui testam. fac. poss. l. 3. C. d. castr. pec. milit. & præfectian.* quàm adventitii irregularis. *Nov. 117. c. 1. §. 1.* quoad hæc enim nullum planè præjudicium Patri affertur, cum in plenô filii familiâs dominio sint *arg. dict. Nov. 117. c. 1.* De peculiô tamen adventitio regulari donare non poterit *l 8. §. penult. C. d. bon. quæ liber.* quamvis quibusdam locis etiam de hoc peculio rectè donet, uti ex Jure Provinciali Würtembergicô constat, quô proprietatis Dominus, adeoque filius familiâs sine consensu patris usufructuarii donare aliquando potest. Fürstl. Würt. LandR. *p. 2. t. 31.* Und so iemand &c.

§. VIII. Porrò (β.) olim *servi* prohibebantur, cùm nihil planè in dominio haberent, sed quicquid acquirebant, id Domino acquirebant *§. 3. J. per quas pers. nob. acquir. l. 3. §. 8. ff. d. donat. int. vir. & ux. l 28. §. 2. d. pact.* Verùm cum sublatâ apud nos servitute priscâ, servi aliquid proprii habere queant, meritò quoque istis illa donandi facultas de mercede, quam pro operis suis accipiunt, conceditur.

§. IX. *Vasallus* (γ) Feudum doni nuptialis loco dare non potest, cùm in genere omnis planè Feudi alienatio illicita sit *2. F. 9. 2. F. 44. 52. & 55.* De fructibus autem Feudi planè aliud statuendum, quia ratione illorum Vasallus perindè se habet ut Dominus. Hinc illos omninò rectè muneris locô donare atque offerre potest, quousque vivit Magnif. Dominus Struv. *Synt. Jur. Feud. cap. XII. aph. 7. n. 1. 2. seqq.*

§. X. Offerunt autem regulariter dona nuptialia *Convivæ invitati*, sive præsentes sint, sive absentes mittant. De Jure tamen Saxon. Elector. nullus, licet invitatus sit, donum nuptiale rectè mittit, nisi simul compareat *Ord. Polit. nov. tit. 15. § 2. in verb:* Dieienigen aber/so zwar eingeladen/aber nicht erscheinen/denen soll zu schencken/oder das Geschencke zu schicken/hiermit gäntzlich verboten

ten seyn. Quod si autem aliquis ad nuptias haud invitatus e. g. peregrinus, ex liberalitate novis sponsis donum offerat, illud minimè rejectum iri puto. Obtinet autem in quibusdam locis, ut singuli ex personis præsentibus singula dona dent; alibi si maritus & uxor adsint, solus maritus donum offerat, uxor verò nihil; alibi verò & maritus & uxor donent. Quoad postremum casum quæritur. *An mulier ad nuptias invitata etiam aliquid de bonis dotalibus consentiente maritò donare possit?* Et quod de his bonis regulariter dissentiente maritô nihil alienare possit, certissimum est, sed an hoc ne quidem consentiente maritô fieri possit, dubio non caret. Negantes inprimis fundantur *in l. 21. C. d. donat. & pr. J. quibus alien. licet*. Verùm, cùm in istis textibus nihil de rejectô etiam consensu mariti reperiatur, affirmantium opinio videtur esse verior. Si enim maritus res dotales mobiles sive servando servari possunt, sive non, dissentiente licet uxore, rectè alienat *arg. pr. J. quib. alien. lic. vel non l. 3. §. 2. d. suis & leg.* quid quæso obstat, quò minùs uxor concessione sibi à marito factâ ejusmodi donationem pecuniariam cum inprimis intuitu mariti invitata fuerit, peragere validè queat.

§. XI. Excipiuntur autem hîc **Pastores**, qui quibusdam in locis convivio nuptiali gratis interesse, nec munusculum aliquod offerre necesse habet. Hi enim sicuti ad conviviū, quod post baptismum paratur zu dem Gevatter-Essen/ nisi consvetudo in contrarium adsit, invitari debent Carpzov. *l. 1. Jurisp. Consist. def. 120.* aut, nisi hoc fiat, honorarium pro eô exsolvi debeat Carpzov. *d. l. def. 121.* Ita etiam meritò quoque ad convivium nuptiale invitari & gratis adesse debent. Et quidem non immeritò. Requirit enim hoc debitum honestatis propter obligationem remunerationis, atq; argumentum testandæ tàm observantiæ erga ministerium, quàm reverentia erga ministrum Dei 1. *Cor. 4.* Et hîc nihil interesse putamus, an divites Pastores sint, nec ne, add. D Gerhard. *in loc. d minist. Eccles. p 514. Ord. Saxon. Eccles. art gen. 24. vers.* Und soll keine Entschuldigung angenommen werden/ daß sie vorgeben / der Pfarre sey ohne dem reich genug. Alibi etiam æditüus aut Ludimoderator gratis adesse debet, aut ei certa pars cibi ac potûs Eine

Brautsuppe oder bescheiden Essen/ uti vocatur, præstari solet D. Ziegler. *Differt. d. Jur. victual. cap. 4. n. 43.*

§. XII. *Subjectum passivum* constituimus *Sponsum* & *Sponsam*, legitimè matrimonium ineuntes, ob arctam illam conjunctionem, quâ non solùm jure divino & Canonico unum corpus unaque caro reputantur *Genes. 2. v. 23. & 24 c. 1. X. d. Conjug Lepros.* sed & Civili Jure individuæ vitæ *l. 1. ff. d. rit. nupt. l. sic rerum 52. d. re judic.* promiscui usus *l. 17. C. d. furt. l. 54. ff. d. legat. 3.* Bocer. *class. 1. disp. 9. th. 1. lit. c.* omnisque fortunæ socii efficiuntur. Hinc variorum seculorum locorumque populi, communionem inter virum & uxorem respectu bonorum ipsum Deum autorem habere, naturalique æquitati, nec non conjugum amori ac honori optimè convenire statuerunt, & hæc passim à pluribus recepta JCtorum scriptis ac responsis declarata sententia fuit, cujus rei hinc indè tàm apud Historicos, quàm JCtos, vestigia extant. Sunt, qui, ut à Græcis valdè commendatam, ita Latinis, ante tempora quoque Justiniani non incognitam fuisse, indè colligunt, quòd sponsa in ædes mariti introducta, & à pronubis transportata (pedibus enim limen tangere fas non erat) dicere marito solita fuerit: *Ubi tu Cajus, ego Caja* h. e. ubi tu Dominus, ego Domina. Hetruscis enim verbum Cajus Dominum significat, teste Joh Garf. *d. Conjugal. acqu. n. 23.* Plutarch. *in qq. 30. Columella. l. 12.* referente Tiraquellô *in LL. Connubial. gloss. 8. n. 8. nihil conspiciebatur in domô dividuum, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium esse juris sui diceret.* Huc referunt locum non inconcinnum *Martial. l. 4. epigr. 75.* qui *Nigrinam* præter dotem, etiam patrimonium reliquum viro tradentem refert:

Te patrios miscere juvat cum conjuge census
Gaudentem socio participique viro.

Item *Ciceronis* dictum 2. *Offic.* ubi: *Prima,* inquit, *societas in Conjugio, proxima in liberis, deindè una domus, communia omnia.* Et sanè, si in leges nostras oculos vertimus, multa hanc communionem confirmantia reperimus documenta, prout sunt, Participatio utriusque fortunæ *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* Dignitatis *l. 8. ff. d. Senat. l. 13. C. d. dign. l. ult. C. d. incol. & ubi quis domic. Nov. 105. c. 2.* Domicilii atque fori *l. 65. ff. d. Judic. d. l. ult. & l. 13. C. d. dignit.* Nec non

non quod privilegia maritorum, etiam personalia, uxoribus communicentur *l. 6. ibi, unà cùm uxoribus C. d Profess.* ex quô fluxisse mihi videtur, quod etiam hodiè viduæ artificum, & mercenariorum, id artificium quod defunctus maritus exercere solitus fuerit, per servos idoneos, etiam in his artificiis, in quibus nullus nisi probatus & juratus admittitur, exercere possint Petr Costal *in l. fœmina §. ff. d. Senat.* Matth. Stephan. *d. Jurisd. l 1. c. 14. n. 17.* Kitzel. *Synops. matr. c. 7. th 10. lit. e.* eademque illis reverentia debeatur *l. 1. C. d. injus. voc.* adeò, ut injuria ipsis facta, maritis facta censeatur *l. 2. C. d. injur.* Kitzel. *l c. add* Sutholt *Diss. 2. th. 20. Cypræ. d. Sponsal. c. 5. §. 14. n. 3.* Hinc merito quoque ob societatem hanc conjugalem dona nuptialia utrique conjugum communia statuimus, quamvis intentionem convivarum donantium, qui utrique donatum acquiri cupiunt, & legis dispositionem specialiter ea quæstibus conjugalibus annumerantem, hìc multùm quoque conferre, lubentissimè fateamur. vid. D. Lauterb. *diss. d. societat. bonor. conjug. c. 3. §. 23.* Nihil proindè interesse putamus, an soli sponsæ, an sponso dona ista tradita sint, cùm consvetudo locorum, mens atque intentio convivarum inspicienda sit, qui absque dubiô utrique tàm Sponso quàm Sponsæ donare voluerunt, licet uni saltem tradiderint *arg. l. 4. l. 10. ff. d. donat. ff. l. 6 C. eod.* Carpzov. *p. 3. const. 22. def. 1.* His adde, quod cùm matrimonium species quædam sit societatis *§. 1. J. d. patr. pot. l. 1. §. 3. ff. d. justit. & jur. l. 1. ff. d. ritu nupt.* in societate autem, quicquid socius ex causâ societatis acquirit, illud cum alterô participare tenetur *§. 1. J. d. Societ l. 29. §. 2 ff. eod.* hinc etiam dona nuptialia inter sponsum ac sponsam communia esse debent. Et hanc sententiam æquissimam judicat Hahn. ad Wesenb. *d. jure dot. n. 11. ad f.* add. Treutl. *Vol. 2. Diss. 7. th. 10. lit. c.* Besold. *Thesaur. pract. voc.* Hochzeit-Geschencke. Et hanc etiam obtinere in Jure *Provinc. Wurtemb. p. 3. tit. 7.* Wann Eheleute/ ibi: solle an allen in währender Ehe errungen und gewonnenen Gütern (darunter auch dasjenige/ was den Eheleuten zu ihrer Hochzeit verehret worden zu rechnen) jedem Ehegemahl der halbe Theil zugehörig seyn/ testatur D. Lauterbach. *l. c.*

§. XIII. Equidem non ignoramus, quosdam fuisse, qui ab hâc sententiâ recedere voluerunt. Sic Bartolus in *l. 10. §. 5. ff. d.* vulg.

vulg. & pup. subst. n. 4. distinctionem fecit inter dona amicorum cognatorumque Sponsi & Sponsæ. Hinc Sponsi amicorum dona Sponso; ast Sponsæ amicorum dona sponsæ cedere statuit. Et hanc sententiam secutos olim fuisse Scabinos Lipsienses asserit. Moller *ad Const. Elect. p. 3. c. 22. n.* 1. Verùm, quid respondebit Bartolus ad dona extraneorum, qui nullius conjugum cognati sunt? Altum planè de his tenet silentium, ut proindè nullius momenti distinctio hæc esse videatur. Contrà verò Lud. Rom. *Consil. 172 n. 2. & alii à Mandosiô in addit. ad eund. allegati, ut &* Jason *in d. L. 10. §. ad substitutos n. 9. ac eum sequens* Zasius *lib. sing. intellect. c. 9.* ea, quæ sponsæ donantur, etiamsi à consangvineis sponsi & ejus contemplatione donata sint, ad sponsam tamen, non ad sponsum pertinere asserit. Rationem addit Zasius hanc, quòd in donationibus non tàm, cujus contemplatione illæ fiant, sed cui tradantur, inspiciendum sit, & quòd quis amico aut cognato donare cupiat, ipsi dare facillimè possit, nec opus habeat ejusmodi circuitu, ut sponsæ vel uxori ejus det, quod ipsum habere velit Moller. *l. 2. Semest. c. 42. n. 1.* Verùm, cùm thesi præced. probatum sit, etiam illud, quod sponsæ datum fuerit, sponso commune esse, facilè ratio Zasii corruit, cùm utique mens atque intentio donantium, & cujus contemplatione donatio fiat, inspici debeat. Non defuerunt quoque, qui ad solum sponsum ista dona pertinere statuerunt, quos refutatos vid. ap. Carpzov. *Jp. For. p. 3. c. 22. def.* 2. Aliam sententiam fovere videtur Brunnemann. *Cent. 2. decis. 68. num. 5.* qui dona à cognatis oblata Sponsæ ex asse deberi, cætera autem ex parte dimidiâ asserit. Allegat equidem pro suâ sententiâ Carpzov. *p. 3. const. 22. def.* 1. Sed hunc contrariam potius sententiam tueri, cuivis ex lectione allegatæ definitionis constare facillimè poterit. Et ipsemet Brunnem. sibi quodammodò contrarius videtur *Cent. 4. decis. 50. n.* 2.

§. XIV. In forô Electorali Saxonicô hæc res minus habet dubii, cum juxta *p. 3. const. 22.* ea, quæ in nuptiis sponso ac sponsæ donantur, utrique simul acquirantur. Et hoc procedere à quocunque tandem donata fuerint, Panorm. *in c. 2. x. d. Donat. n. 2. vir. & uxor.* statuit Dan. Moller. *ad Const. cit. §. 2. & Semest. L. 2. c. 42. n. 2.* Carpzov. *l. cit.*

§. XV. Commodè autem hîc quæritur: *An dona nuptialia*

pro

pro dimidiâ parte, quam sponsa accipit, ad dotalia, an verò ad paraphernalia ejus bona referri debeant? Equidem, si nuptiæ impensis parentum sponsæ factæ & dona illa expresse ob impensas in nuptias factas in dotem data sunt, tunc res caret dubio, cùm conventio det legem contractui. Quod si verò nihil planè de iis convenerit, de Jure civili magis paraphernorum, quàm dotalium qualitatem habere videntur, cùm non eâ intentione à convivis dentur, ut dos sit, ac in dubiô bona, quæ quis unâ cum uxore accipit, non dotalia sed paraphernalia censeantur sec. Dd. vid. Georg Franzk. *2. Resol. 5. n. 76.* Menoch *l. 3. præs. 8.* D. Struv. *Exerc. 30. th. 6.* Dotis enim constitutio facti est *l. 1. C. d. dot. caut. non num.* nec præsumitur, sed probanda est *l. 12. §. 2 ff. d. capt. & postl. revers. l. 13. §. f. d. publ. in rem act.* Faber *in C. libr. 5. tit. 7. def. 18. n. 2.* Gail. *2. observ. 82.* Nihilominus tamen hodiè usu fori & ex mente Dd. annumerari solent doti, non quidem ex ea ratione, quod qualitas eorum in se spectata talis sit, sed potius ratione effectûs præprimis prælationis, quippe quæ juris positivi est, & consvetudine introduci potest. D. Richter. *d. Concurs. Creditor. c. 3 sect. 1. n. 80 seqq.* Berlich. *p. 3. conclus. 37. n. 16.* Carpzov *p. 1. const. 28. def. 88. & p. 3. const. 22. def. 6. vid.* JCtiss. D. Roth. *Antecessor Salanæ hujus celeberrimus in dissert. d. jure paraphernorum c. 4.* qui secundum hanc sententiam nuperrimè à Magnif. JCT. hujus Acad. pronunciatū fuisse testatur. Accedit, quod supra dicta regula, quod nimirum in dubio bona uxoris magis paraphernalia sint, quàm dotalia, cesset, si conjecturis probari possit, bona dotis causâ data esse, quam conjecturam hîc inducit ad minimum traditio vera à muliere facta marito tempore contracti matrimonii. Tacitum enim subesse pactum censetur, ut dotis nomine habeat, Faber *Cod. lib. 5. tit 7. def. 18 n. 5.* aut si marito fuerint illata sub titulo Heyraths-Guth / tunc enim non bona paraphernalia, sed dotalia saltem intelliguntur, quia ex consvetudine Germaniæ vocab. istud ita, testante Carpzov *p. 1. c. 28. def. 87.* receptum fuit, quod autem moris est, observatum esse censetur per *l. 31. ff. d. ædil. edict.* Hinc ita pronunciarunt Dnn. Scab. Lips. teste Carpz. *ib.* Ob gleich unter dem Wort Heyraths-Guth alleine das Ehegeld / und nicht die paraphernalien / oder was die Frau sonsten zu ihren Manne gebracht / zu verstehen / &c. add. JCtiss. D. Roth. *l. c. cap. 1. th. 11.*

Quod si tamen paraphernorum qualitas expressè in pactis dotalibus donis hisce assignata sit, id quod in compaciscentium voluntate positum est, meritò etiam hodiè illis acquiescitur *vid. Const. Elect. 22. p. 2. in fin. ibi* Da aber in denen Ehestifftungen / Statuten oder Gewohnheiten hiervon gewisse Verordnungen wären / Denenselben wird zuförderst billig nachgelebet / und darauf soll von unsern Gerichten also erkant werden.

CAPUT III.

DE

OBJECTO, FORMA AC FINE DONI NUPTIALIS.

SUMMARIA.

I. Objectum Doni nuptialis possunt esse quævis res non prohibitæ II. Quale ac quantum quis donare velit, in cujusvis arbitrio est; Nisi per Statutum certus modus sit præscriptus. III. Proponitur Casus. IV. Dari solet donum statim, vel promitti. V. Si res donata fuerit aliena, num Donator novis sponsis teneatur ad evictionem? VI. Donum nuptiale si 500. solidor. summam excedat, insinuatione opus habet, ut cæteræ donationes. VII. Forma donandi exponitur. VIII. In quibusdam locis primo, alibi secundo, in alio die tertio offertur. IX. Quisnam finis sit.

§. I.

OBjectum doni nuptialis possunt esse quævis res non prohibitæ. Eorum nomine autem plerumque venire solet ex communi consvetudine pecunia numerata; quamvis etiam haud rarò stannea, argentea atque aurea vasa (Pocal) ut & catenas aureas, inprimis apud splendidioris fortunæ homines donari videamus.

§. II. Est verò in cujuslibet liberô arbitrio, quid, quale ac quantũ donare velit, cùm ejusmodi dona sint voluntaria, nec perquam necessaria *l. 1. §. 5. ff. d. tutel. ac ration. distrah.* tamen cavendũ ne limites, qui aliàs in donatione in genere observandi, quis egrediatur.

Quod

Quod si verò per statutum certus donis hisce modus præscriptus sit, ultra quem donare non liceat, meritò illud observandum esse statuimus. Sic in *Ord. Polit. Elect. noviss. tit. 15.* Wie es mit Hochzeit-Geschencken gehalten werden soll/ permittitur quidem cognatis ac peregrinis pro lubitu donare, præter illas tamen personas nemini ultra Thalerum, vel aureum Rhenanum, aut ad summum Ducatum donare conceditur. Verba §. 2. *dict. tit.* ita se habent: Ausserhalb der ietzo gemeldten Personen (exceptis nimirum patre, matre, fratribus, sororibus, consangvineis, & peregrinis, de quibus §. 1. *l. c.*) sollen die andern eingeladenen Hochzeit-Gäste / ein ieder seinem Stande und Verwandnüs nach/hierinnen eine solche Maasse halten/damit durch seine Schenckung zu keiner Neurung und andern/umb Vermeidung Schimpffs willen / mit dergleichen Geschencke höher/als sich wohl sonst zu thun gebühret/nachzufolgen Ursach gegeben werde/ und darmit hierunter eine Gewißheit sey/ soll nach Gelegenheit der Person über ein Thaler/ein Goldgülden/ oder zum höchsten ein Ducaten von ein paar Eheleuten nicht geschencket werden &c.

§. III. Casus est: Mævius invitatur ad nuptias cognati sui. Cùm verò propter urgentia impedimenta ipsemet in nuptiis comparere nequit, per literas rogat Titium, ut locô sui nuptiarum festivitati interesse, peractaque gratulatione ac votô, donum, quod se mox restituturum promittit, novis nuptis offerat, quæritur, quid, quantumve Titius Mævii locô donare debeat? Equidem vix putamus, aliquem de facili commissionem ita alicui daturum, nisi eundem simul instruat, quid donare debeat. Quod si tamen fortè casus ita acciderit, quid statuendum? Nos ante omnia conditionem Mævii inspiciendam esse existimamus, an dives sit, an verò mediocris, an tenuioris fortunæ. Et deindè quid aliàs dare solitus fuerit, aut tunc loci moris sit. Ita, ut si fortè Titius splendida dona offerat, Mævius verò non adeò dives sit, eum non teneri omnia restituere Titio verius est, sed tantùm ordinariam summam, quam aliàs dari ab ejusmodi personâ moris est. Quod si tamen Mævius nec id restituere velit, quod aliàs donare solitus fuerit, eum actione mandati aut negotiorum gestorum à Titio conveniri posse, omninò statuendum, quippe cum Titius se

gesserit solitô more, quô etiam ipsemet principalis invitatus usus fuisset, si adfuisset.

§. IV. Dari autem solet hoc donum vel statim numeratò & ipsis nuptiarum diebus; vel promittitur saltem ac solutio differtur. Quod si tamen ea non fiat, institui potest Condictio ex lege, quoniam censetur pactum legitimum, à Justiniano confirmatum, ut actionem producat *l. 35. C. d. donat. arg. l. 6. ff. d. pact. junct. l. unic. ff. d. condict. ex leg.* Moribus nostris hoc minus dubii habet, cùm ex quovis pactô etiam nudo actio detur Dn. Struv. *Exerc. 6. th. 17.* Carpzov. *p. 2. c. 19. def. 17.*

§. V. Quid si res donata, fortean, quod aliena sit, evicta fuerit, quæritur *an donator novis sponsis teneatur ad evictionem?* Et respondemus, eum minimè teneri *l. 18. §. f. ff. d. donat. l. 2. C. d. evict. l. 61. ff. d. ædil. edict. l. 131. ff. d. V. O.* ne aliàs liberalitas sua ei damnosa sit; nisi expressè promissum fuerit à donatore de evictione, & tunc absque dubio tenebitur *l. 2. C. d. evict* quia contractus ex conventione legem accipiunt *l. 1. §. si conveniat depos.* Interim tamen benè agi poterit de dolô, si is intervenerit *l. 18. §. f. ff. d. donat.*

§. VI. Donum autem nuptiale, ut ceteræ donationes, si 500. solidorum summam excedat, insinuatione opus habet, cùm nullibi excipiatur *arg. §. 2. J. l. 36. §. f. C. d. donat.* Omnis enim donatio excessiva indiget insinuatione. *l. 36. C. de donat.* Jam verò donum nuptiale est & manet donatio sive doni datio. Quod igitur convenit generi universo, idem etiam necessum est omnibus ejus speciebus conveniat. Id verò receptum est, non solùm ad commodum Reipublicæ, ne quis scil. malè re suâ utatur §. 2. *J. d. his, qui sui vel al. jur.* sed & ad excludendas fraudes & persvasiones, quibus per publicorum actorum testimonium occurrere voluerunt *l. 27. C. d. donat.* Eckolt. *ad ff. d. donat.* §. 7.

§. VII. *Formam* quod attinet, ea ex parte convivæ donantis consistit in animo donandi, nullô jure cogente, solius liberalitatis causa *l. 29. pr. ff. d. donat.* ex parte novorum conjugum in animô donum isthoc accipiendi, cùm donatio sine acceptatione nulla sit *l. 10. & l. 19. §. 2. ff. eod.* Animus autem iste donandi elicitur ex traditione reali doni nuptialis *arg. l. 6. & 29. §. 1. eod. l. 1. 7. 28. & 35.*

§. 5. C.

§. 5. *C. eod.* vel promissione *l. 9. & 11. ff. d. pollicit.* Respectu verò novorum conjugum animus ille cognoscitur, si rem donatam hilari gratoque animo accipiant D. Eckolt. *l. c.* §. 7. Nihil autem refert, an traditio vera, an ficta intervenerit, ut puta, si invitatus conviva donet rem quæ jam est penes sponsum vel sponsam *arg. l. 9. § 5. ff. d. acquir. rer. domin.* aut, quando donator accepto tulit donationis causâ, quod sponsus vel sponsa debebat *arg. l. 32. §. 23. ff. d. donat. in vir. & uxor.*

§. VIII. Obtinet autem in quibusdam locis, ut donum illud primô nuptiarum die offeratur, alibi, ut secundo aut tertio die tradatur. Nos hîc cuivis locô consvetudinem suam relinquimus, & nihil interesse putamus, an primô, an secundô, an tertiô nuptiarum die donatio ista fiat. In Jure tamen *Saxon. Elect. Ord. Polit. l. c.* §. 8. specialiter dispositum est, ut, quamprimum copula sacerdotalis facta, præprimis in nuptiis, quæ post meridiem initium capiunt (auf Abend-Hochzeiten) donatio illa peragatur, verb. Als soll in künfftigen auf den Abend-Hochzeiten ein ieder Eingeladener sein Hochzeit-Geschencke / so bald man aus der Kirchen kömt/ vor/oder bey der Mahlzeit in Städten und aufm Lande neben gebührlicher Glückwünschung überantworten.

§. IX. *Finis* doni nuptialis primarius est, ut donator liberalitatem atque munificentiam suam exerceat *arg. l. 1. pr. ff. d. donat. l. 1. C. d. revoc. donat. l. 214. ff. d. V. S.* Wesenb. *ad ff. d. donat. n. 7.* Spectatur autem ille vel ex parte donantis; vel ex parte donatoriorum, novorum nimirum conjugum. Respectu illius est honesta affectio, quâ novos sponsos prosequitur eosque juvare vult *l. 5. ff. d. donat.* Respectu verò horum est honestas vel cognatio, quæ invitatos convivas ad liberalitatem exercendam movet.

CAPUT IV.

DE

EFFECTU.

SUMMARIA.

§. I. Effectus don. nupt. est ut in novos Conjuges dominium vel conditio usucapi-

usucapiendi transferatur, manente dimidia parte sponso, altera sponsæ propria. II. Q. Si primâ nuptiarum die ante conscensionē thalami sponsa moriatur, num dimidia pars donorum ad sponsum aliàs spectantium pertineat ad sponsum? Afferuntur rationes affirmantium, remissivè negantium. Quid obtineat de Jure Saxonico. III. Sponsa mortuo sponso ante conscensionem thalami dimidiam suam partem donorum nuptialium repetere potest IV. Matrimonio per conscensionem thalami confirmato maritus defuncta uxore omnia & integra retinet dona nuptialia. Quid, si liberi adsint? V. Excipiuntur ea, quæ ad Geradam pertinent. VI. Ex ejusmodi nihil lucratur Maritus. Aliter & res habet, si marito ex bonis defunctæ uxoris certa portio per pacta dotalia fuerit assignata. VII. Quid juris competat Viduæ quoad d. n Ratione suæ dimidiæ partis habet privilegium prælationis. Si verò impensis Parentum sponsæ nuptiale convivium celebratum fuerit, earumque nomine dona nuptialia per conventionem in dotem data fuerint, tunc defuncto marito uxor omnia & singula dona nuptialia repetit. Et ratione horum jus tacitæ hypothecæ habet in bonis Mariti, ac mortuo eô præ reliquis Creditoribus anteriorem hypothecam non habentibus ea accipit. VIII. Q. Si defuncto marito ex donis nuptialibus nihil extet? IX. Oppignoratis donis nuptialibus à marito quis ea post mortem ejus luere debeat, an Vidua, an Heredes mariti? X. Si de quantitate non constet? Distingue. XI. Sunt Casus, quibus vidua nihil planè de donis nuptialibus accipit. Utpote si portionem statutariam accipere malit. XII. Si certam in pactis dotalibus partem ex bonis mariti accipiat. Si uxor nobilis petat dotalitium, morgengabam, & cibaria domestica. XIII. Habet mulier ratione horum donorum jus retentionis. Q. Si heredes negent quantitatem donor. nupt. mulier verò quasdam res Xenia nuptialia esse affirmet, heredes verò contradicant? Q. an durante processu relinquenda sit in possessione bonorum? XIV. An maritus accusans civiliter uxorem de adulterio, retineat Xenia nuptialia? XV Q. Si quis uxorem ducat, quam postea ob stuprum ante nuptias commissum legitimè convictam retinere recusat, an ille dona nuptialia integra retinere possit.

XVI.

XVI. Quid, si per divortium fuerit solutum matrimonium?

§. I.

E*ffectus* doni nuptialis est, ut in novos Conjuges dominium vel conditio usucapiendi transferatur. Manet verò absque dubio dimidia pars donorum nuptialium sponso; altera verò pars sponsæ propria *arg. l. ult. C. d. pact. convent. l. 9. §. 3. d. jur. dot.* Cùm verò maritus sit administrator bonorum uxoris *l. 21. C. d. procur*, ibique Dd. etiam horum administrationem, imò usumfructum constante matrimoniô eum habere dicendum est *arg. d. l. ult. C. d. pact. conv.* De Jure Saxonicô, cùm maritus usumfructum omnium bonorum uxoris habeat LandR. *L. 1. art. 3. et art. 45.* res omninò expedita est Dn. Struv. *Exerc. 29. th. 56.* Potest quoque maritus ea alienare, quia res dotales mobiles rectè alienat vid. Ludvv. *disp. 6. th.* 12. & hinc multò magis hæc dona plerumque pecuniaria rectè alienabit, nisi immobilia quædam bona sponsæ fuissent donata, tunc enim contrarium facile concesserim.

§ II. Sed quid, *si primâ nuptiarum die ante conscensionem thalami sponsa moriatur, quæritur, ad quem pertineat dimidia pars donorum ad sponsam aliàs spectantium?* De Jure Civili pro Sponsô pugnat (I.) quòd sponsa de præsenti sit uxor *l. 15. ff. d. cond. & demonst. l. 8. C. d. incest.* cum solus consensus, non concubitus matrimonium faciat *d. l. 15. l. 32. §. 13. ff. d. donat. int. vir. l. 30 ff. d. R. J.* Imò conjuges sunt, etiamsi corpore nunquam convenerint. Hinc sponsa debet lugere mortem sponsi, tanquàm viri sui *l. 2. l. d. sec. nupt.* (II.) quia in materia odiosâ & pœnali sub uxori quoque comprehenditur sponsa *l. 12. §. 3. ff. ad l. Jul. de adult.* Ergò multò mâgis debet comprehendi sponsa, præprimis per verba de præsenti talis, utpote in materia favorabili, qualis & successio Gail. l. 1 *obs. 80.* III.) *l 22. C. d. Nupt.* ubi Theodosius constituit, pompæ celebritratisque nuptiarum omissionem, matrimonii firmitati non obesse (IV.) *d. l. 15 ff. d. cond. & demonst.* ubi legatum relictum alicui, si cum Berta matrimonium contraxerit, ei debetur, si tantùm Sponsalia contraxerit, posito, quòd puella interim, antequam matrimonium fuerit consummatum

tum

tum, moritur, quia conditio illa est perfecta ob rationem, quam subjicit JCtus: Quia non concubitus &c. (V.) *l. 5. C. d. bon. quæ lib. ubi* idem, quod in lucris donalibus ratione conjugum obtinet, etiam ad desponsatas personas applicari statuit Imperator. In Jure Canonico affirmantium opinio videtur se fundare (α.) *in 27. dist. qv.* 2. ubi verba Ambrosii referuntur. *Cum initiatur conjugium conjugii nomen asciscitur. Nam defloratio virginitatis non facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum mulier viro coniungitur, coniugium est, non cum viri adiunctione cognoscitur* (β) in *c. conjux 27. qv.* 2. ubi Augustini verba referuntur d. conjugio Josephi & Mariæ, Conjux vocatur à primæ desponsationis fide, quam concubitu non agnoverat Joseph, nec fuerat agniturus &c. Accedit, quod in sacris literis sponsa uxor appelletur, ideoque negari non posse contendunt, quod inter Sponsum & Sponsum verum sit matrimonium. Sic *Deut.* 22. sponsa uxor appellatur & *Matth.* 1. Maria Josepho desponsata, sed nondum ducta & accepta uxor dicitur. Et Jacob *Genes. 29.* d. Rachele sibi tantùm desponsa, Trade, inqvit, mihi uxorem meam. Ita & sacræ literæ sponsos generos appellant *Genes. 19.* Quid Negantes reponant vid. ap. Carpzov. *Jurispr. Consistor. defin.* 130. & 134. De jure Saxonico in aperto est, Sponsorum nihil ex dimidia parte Sponsæ mortuæ ante conscensionem thalami lucrari: Er habe denn das Braut-bette beschritten / und den Ehestand mit Ehelichen Beyschlaffen vollzogen art. 45. Landr. Cypr. *d. matrimon. c. 3 §. 4. n. 3. 4. & 5.* Beust. *d. jure connub. 2. c. 67.*

§. III. Sponsa mortuô sponsô ante conscensionem thalami nihilominus dimidiam suam partem donorum nuptialium petere potest. Quamvis enim de Jure Saxonicô ante conscensionem thalami minimè petere possit ea, quæ ex statuto vel pactis dotalibus aliàs ex bonis sponsi defuncti sibi debentur, *art. 45. lib. 3.* LandR. & *Const. Elect. 19 p. 3.* Schneidw. *ad pr. J. d. hered. ab intest. tit. d. success. int. vir. & uxor. n.* 21 Dan. Moller. *Semest. L. 3. c. 23. n. 5.* Hinc quoque ejusmodi sponsam postobitum sponsi habitu virginali incedere posse Scabini Lipsienses, teste Mollerô *l. c.* judicarunt. an benè quidem? Attamen, dona quod attinet nuptialia, cùm illorum dimidiam quoad partem statim fiat Domina, eique propria cedant, ut supra demonstratum est, hinc ea omninò repetere potest,

poteſt, cùm bona propria Sponſo illata repetere nusquam prohibeatur. Carpzov. *J. F. p. 3. conſt. 22. def. 8.*

§. IV. Conſummatô autem matrimoniô, & per conſcenſionem thalami confirmatô, de Jure Saxonicô, defunctâ uxore maritus ſuperſtes omnia ac integra retinet dona nuptialia. Hoc enim jure maritus ſuccedit in omnia bona mobilia uxori defunctæ: Nach Abſterben der Frauen erbet der Mann nach Sächſiſchen Rechten alle fahrende Haabe/ Baarſchafft/ Silber/ Geſchirr und andere Fahrnüs/ auſſer der Stück ſo zum Gerade gehörig. Verba *art. 3. L. 1.* ſic habent: Nimbt ein Mann ein Weib/ ſo nimbt er alle ihre Güter in ſeine Gewehr / als ein Vormund / und ſtirbt das Weib/ ſie vererbt keine fahrende Haab/ auſſerhalb der Gerade und eigen (i. e. bona immobilia, ut explicat Mauſer *d. Nupt in proœm.*) Carpzov. *l. c. c. 23 p. 3. def. 26.* D. Richter. *d. ſucceſſ ab inteſt. ſ. 4 membr. 2.* D. Struv. *Exerc. 38. th. 41.* D. Strauch *Diſſ. 11. th 30.* Cùm autem ejusmodi dona plerumque in ſolâ pecuniâ numeratâ, quæ rebus mobilibus annumeratur, conſiſtant, meritò ea omnia poſt mortem defunctæ conjugis marito cedunt. Si tamen immobilia quædam bona ſponſæ fuiſſent donata, ea non ad maritum, ſed ad heredes uxoris pertinere *art. 31. L. 1.* LandR. ſatis evincit. Quod ſi uxor defuncta planè non habeat bona immobilia, & tamen liberi legitimi adſint; vel ſi quidem habeat bona immobilia, ea autem non ſufficiant ad legitimam, tunc tantum ex donis nuptialibus defunctæ ad liberos pertinebit, quantum opus eſt, ut iis ſalva ſit legitima, ex bonis univerſis defunctæ matris debita Beuſt. d. *Matrim. p. 2. c 67.* Moller. *ad Conſt. 22. p. 3. num. 2. & Semeſtr. L. 2. c. 42. n. 2.* Carpzov. *d. l. conſt. 22. def. 3.* D. Struv. *l. c.*

§. V. Excipiuntur verò ea, quæ ex his donis ad Geradam pertinent, & quorum uſum cuſtodiamque uxor, dum viveret, habuit, und die Frau bey ihrem Leben gebrauchet und in Verwahrung gehabt verba *Conſt. 22. p. 3.* Hinc non immeritò quæritur; quænam illæ res ſint, quæ ad Geradam pertinent? Et Dd. inter eas varia recenſent, quæ ut melius de hoc themate conſtare poſſit, huc transſcribere lubet, idque, ut rectius intelligatur in linguâ vernaculâ, cum latinè hæc reddita obſcuritatem aliquam patiant. Pertinent itaque ad Geradam der Frauen Kleider/ aller Weiblicher

 Schmuck/

Schmuck/an Ketten/gülden und silbern Ringen/Gürteln/Armbänder/Halsbänder und andere Kleinodien/so ihr gewesen und sie getragen hat. Alles leinen Geräde/geschnitten und ungeschnitten/wenn es gleich mit des Mannes Nahmen bezeichnet ist. Alle Federbette/Pfül/Küssen/Leilachen/Tischlachen/Handquelen/Bett und Decklachen/Schleier/Becken/Leuchter/die nicht angehänget/geschlossene Federn/Kisten/Kasten/Laden/Truhen/Schränge/alles Garn/roh und ungesotten/gezwirnet oder nicht/Waschkessel/umb und Vorhänge/Deppiche/alle Weibliche Kleider/genehet oder ungenehet/sie seyn leinen/wöllen/seiden/auch die geschnittene gezierde Fingerlein oder Ringe/Häffte/alles Gewürck an Gold und Silber zur Frauen Zierd gemacht/Schmeltzrosen/silbern Gürtel/Perlen/Hauben/Borden/Schnüre/Corallen/gekrümte Gülden so die Frau an Hals oder Händen getragen/Bücher/darinnen die Frau gelesen/Spinröcke/Bürsten/Spiegel/Kämme/Scheren/Milchgefäß/Weiffen/Würckrahmen/Handbecken/gülden oder silberne Stifft/und andere Sachen mehr/so in possess darzu gehörig &c. als Salvete &c. Ex his tamen Carpzov. *p. 2. c. 14. def. 45.* excipit aureos incurvatos, baccas coralii, uniones seu margaritas, quando nimirum hæc omnia filo haud intorta, & funiculo vel vestimento non attexta sunt. Schmeltzrosen/Stiffte/unangenehete güldene und silberne Knöpffe/unangenehete Körner/unangenehete und versatzte Perlen/gekrümte Goldgülden oder Goldstücken/wenn solche nicht ufgenehet/angereichet angeheffttet/und angewürcket/sind nicht zur Gerade/sondern zum Erbe gehörig.

§. VI. Quod si igitur quædam ex his recensitis in bonis defunctæ ac donis nuptialibus reperta fuerint, eaque maritus novellæ uxori ad utendum tradiderit, maritus sane ista non lucrabitur, sed uxor defuncta illa transmittit ad filias, si quas reliquit, vel ad proximas cognatas Land R. *art. 27. & 31. L. 1.* & ita responderunt Scabini Lipsienses Anno 1575. Daß nach Ordnung Sächsischer Rechte/und Churfürstl. Constitution alle das Silberwerck/so euch und euren Weib auf der Hochzeit geschencket/oder ihr sonsten von den ihrigen verehret worden/ausserhalb der Stücke zur Gerade gehörig/als fahrende Haab auf euch alleine gebracht und verfället.

fället. Carpzov. *l. c. def. 4. Decis. Elect. 51.* Aliter se res habet, si marito ex bonis defunctæ uxoris certa portio per pacta dotalia fuerit assignata. Tunc enim nihil ex bonis defunctæ accipiet, nisi portionem sibi asscriptam, nec dimidiam simul donorum uxoris partem lucrabitur. Carpzov. *d. l. def. 5.* & Decis. noviss. cit.

§. VII. Vidimus hactenus de Jure mariti in defunctæ uxoris partem donorum competente. Nunc etiam quædam de JURE VIDUÆ maritô mortuô quoad dona nuptialia adjiciamus. Repetit ergò uxor maritô defunctô partem suam dimidiam donorum, & ratione illorum privilegium prælationis habet. Carpzov *p. 1. c. 28 def. 88. n. 4. seqq.* ubi in Scabinatu Lipsiensi ita pronunciatum refert: Da euers Ehemanns Gläubiger in seinen Gütern nicht ältere/ausdrücklichere (idque propter *p. 1. c. 28 & Ord. Proc. Jud. tit. 43*) Verpfändung / oder sonsten bessere Gerechtigkeit erlanget hätten ꝛc. So würde Euch vor denselben euer eingebrachtes Guth/ zu sambt dem halben Hochzeit-Geschencke/ so viel ihr dessen beweisen möchtet/ billig gezahlet. V. R. W. add. Brunnem. *Cent. 4. decis. 50.* ubi tale præjudicium affert: Zum 13. werden des Liquidati Witwen/ Margarethen/ diejenige Hochzeit-Geschencke / so noch itzo in des Liquidati Verlassenschafft vorhanden / oder auch nach dessen Absterben von den Creditorn vereussert/ ohne einigen Unterscheid / von wem dieselben geschencket worden / zur Helffte zugeeignet/ welcher derselben nach ihren noch vorhandenen Schmuck und andern Paraphernal-Stücken/ auch ohne einiges Wiedersprechen derjenigen Creditorn, welche hier præferirt, billig abzufolgen seyn. Si verò impensis parentum sponsæ nuptiale convivium celebratum fuerit, earumque nomine dona nuptialia per conventionem in dotem data fuerint, tunc defunctô maritô, uxor omnia ac singula dona nuptialia repetit, idque ex verb. Const. cit. *Vel statutum aut consvetudo in contrarium sit*, cùm conventio det legem contractui *l. 1. §. 6. ff. depos.* Carpzov. *d. l. def. 10.* Et ratione horum donorum in dotem computatorum habet jus tacitæ hypothecæ in bonis mariti, ac mortuô eô præ reliquis Creditoribus anteriorem hypothecam non habentibus ea accipit Gail. 2. *Observ. 25. n. 10. Ord. Proc. Jud. tit. 43. p. 1. Const. 28. ibique* Moller. *n.* 33. Carpzov. *def. 63.* add. *Decis. noviss. 51.*

§. VIII. Sed *quid, si defuncto marito ex donis nuptialibus nihil extet?* Qui dicunt, quod tunc nihil accipiat, fundantur (1.) in verbis Constitutionis: So viel darvon verhanden. Si igitur nihil residuum erit, etiam nihil accipiet, cum aliàs proverbium sit: Wo nichts ist/ hat der Keyser sein Recht verlohren *arg. l. 6. ff. d. dolo malo*. (2) quòd earum rerum, quæ sine dolô, vel culpâ consumtæ sunt, non haberi soleat ratio *l. 2. §. 2. ff. d. collat. bonor. l. 17. C. d. donat. inter vir. & uxor.* Hisce tamen non obstantibus eorum opinio videtur verior, qui statuunt, quòd licet omnibus donis nuptialibus consumtis, nihilominus eorum æstimatio pro dimidiâ parte ex bonis defuncti ab heredibus mariti, viduæ sit exsolvenda. Hinc rectius verba Constitutionis So viel darvon verhanden/ ita explicant, ut, quæ extent, illorum dimidia pars reddatur, quæ non extent, illorum æstimatio solvatur. Ratio decidendi inprimis illa datur, quod dona nuptialia pro dimidiâ parte hodiè inter bona uxoris dotalia recenseantur, uti suprà *cap. 2. §. 15.* demonstratum fuit. Jam verò ejusmodi bonis dotalibus consumtis licet, nihilominus tàm de Jure Communi, quàm Saxonicô æstimatio illorum è bonis mariti est exsolvenda. Hinc sponte sua sequitur idem in donis nuptialibus obtinere, cùm parium eadem sit natura *arg. l. 40. § fin. d. acquir. vel omitt. possess.* Everhard. *loc. top. 14. n. 2.* Dan. Moller. *ad Const. 22. num. 3. & Semest. L. 2. c. 42. num. 3.* Brunnem. *Cent. 4. decis. 50. n. 4.* Berlich. *p. 3. concl. 32. num. 15.* Finckelth. *Obs. Pract. 65. n. 13. 14.* Nihil pro contrariâ sententiâ faciunt verba Constitut: So viel darvon verhanden/ cùm saniori sensu interpretanda sint. Quod attinet *l. 2. §. 2. ff. d. Collat. bonor.* loquitur illa de collatione, qui casus huc non est trahendus. *l. 17. C. d. donat. inter vir. & uxor.* contrarium potius decidit, & ad nostram sententiam trahenda est, cùm ibidem in fine expressè dicatur, quod consumta contra voluntatem uxoris restituere maritus teneatur Carpzov. *l. 6. def. 6.* Juxta *decis. Noviss. 51.* si omnia consumta sint, & nihil extet vidua nihil accipit, nisi per pacta, statuta & consvetudines aliud dispositum sit.

§. IX. *Oppignoratis* verò *donis nuptialibus à marito, quær. quis ea post mortem ejus luere debeat, an vidua, an verò heredes mariti?* Et putamus tàm de Jure civili *per l. 57. ff. d. legat. 1.* quàm

Saxonicô, heredes mariti defuncti obstrictos esse, ut luant ea, quæ à marito ex donis nuptialibus ad uxorem pertinentibus oppignorata fuerunt Carpzov. *d. l. def. 7.* Si tamen ipsa uxor ea oppignoraverit, vel cum ejusdem consensu à maritô oppignorata fuerint; tunc sanè non heredes mariti, sed ipsa uxor ea redimere tenetur. Moller. *L. 2. Semestr. c. 7.*

§. X. De *quantitate* autem donorum nuptialium si non satis constet, distingvendum, an Inventarium confectum fuerit, nec ne. Priori casu non est dubitandum, quin per illud satis probetur quantitas eorum *Decis. nov. 51.* cùm tamdiu pro Inventariô præsumatur, donec probetur contrarium *l. ult. §. 10. C. d. jure. delib.* Si verò posteriori casu inventarium confectum non fuerit, nec etiam per testes quantitas illa probari queat, nec per schedulam à maritô conscriptam, vel saltem subscriptam *arg. cap.* von recognition und brieflichen Uhrkunden. Proceß Ordn. *in pr.* ibi Alle briefliche Uhrkunden Berlich. *p. 1. concl. 43. n. 6.* tunc pars petens videtur admitti posse, si juramentô summam indicare velit. Cùm enim juxta Dd. debitô in genere probato, super quantitate debiti standum sit juramento Creditoris, quidni & illud hoc casu procedat. Carpzov. *l. c. def. 9.* qui taliter pronunciatum esse refert Anno 1632. So wird ihr die Helffte des Hochzeit-Geschencks/ so viel sie dessen bescheinigen und erweisen mag / ausgeantwortet/ und ufn Fall bemeldte Witwe / wie viel eigentlich des Hochzeit-Geschencks gewesen/nicht beybringen könte/wird Sie solches eidlich zuerhalten billig zugelassen add. Finckelth. *Observ. Pract. 65. num. 25.*

§. XI. Sunt tamen etiam casus, quibus vidua nihil planè de donis nuptialibus accipit, ut si (I.) portionem statutariam accipere malit. De Jure Civili, si maritus præmoriatur locuples, uxor verò laboret inopiâ, tunc illa, si velit, admittitur ad quartam totius hereditatis, tribus vel paucioribus liberis existentibus, quatuor verò vel pluribus liberis viventibus ad partem virilem, id est, quantam quisque liberorum accipit. *Nov. 117. c. 5.* Schneidevv. *ad pr. J. d. hered. quæ ab int. defer. sub rubr. d. success. inter vir. & uxor. n. 14.* ibique Harprecht *n. 480.* Magn. Dn Struv. *Exerc 38. th.* Carpz. *J. F. const. 20. def. 15.* & si hoc casu portionem illam accipere vel-

lit, tunc utique & dimidiam suam donorum nuptialium partem conferre tenebitur Wesenb. *adf. d. collat. bonor. in fin. n. 4.* De Jure Saxonico, quia uxor marito succedens cum propriis liberis dotem illis ac reliqua bona conferre tenetur. Wesenb. *l. c.* sequitur suâ sponte, quòd etiam dona nuptialia conferre debeat, cùm illa sub bonis comprehendantur Carpzov. *p. 3. c. 21. def 12.*

§. XII. (II.) Si certam in pactis dotalibus sibi assignatam partem ex bonis mariti accipiat. Tunc enim nihil amplius, nisi partem illam petere valebit, cùm pacta strictè sint interpretanda. Et huc faciunt verba *Const. 22 p. 3.* Wo aber in Ehestifftungen hiervon gewisse Ordnungen wären ꝛc. Carpzov. *l. c. def. 12.* (III). Si uxor nobilis petat dotalitium, Morgengabam & cibaria domestica, dona præfata heredibus mariti defuncti relinquere cogitur. Sicuti enim vidua nobilis, si petit dotem illatam, simul Geradam, Morgengabam & Comestibilia petere nequit *gloss. art. 31. in verb.* Stirbt das Weib / ita quoque, si petat dotalitium, ad dotem & nuptialia dona non admittetur *Const. Elect. 42. p. 2.* ibique Moller. *n. 1.* Wesenb. *p. 1. consil. 26. n. 26.* D. Richter. *d. success. ab int. sect. 4. membr. 3. n. 65. 66.* Carpzov. *l. c. def. 13.*

§. XIII. Habet autem uxor in bonis defuncti mariti ratione horum donorum *jus retentionis*, donec ei penitus de medietate illorum satisfactum fuerit. Cum enim illi non solùm pro dote, sed & pro aliis bonis illatis ac paraphernalibus jus retentionis concedatur, cur in donis hisce eidem hoc denegemus, cùm xenia ista bonis illatis omninò æquiparentur. *cit. const. 22. p. 3. in verb.* Wann aber nach des Mannes Absterben add. *const. 25. p. 11.* Carpzov. *l. c. def. 14.* qui præjudicium hisce formalibus affert: So seyn desselben Erben euern Eheweibe solches ihr Einbringen / darzu Sie gekieset / aus des Verstorbenen bereitesten Haab und Güthern zu bezahlen / auch die Helffte des Hochzeit-Geschencks auszuantworten schuldig. Ehe und bevor solches geschicht / ist Sie des Juris retentionis in des vorigen Mannes Güthern zugebrauchen wohl befugt. V. R. W. add Brunnem. *Cent. 5. decis. 69. n. 5.* Sed quid, *si heredes negent quantitatem donorum nuptialium, mulier autem quasdam res xenia nuptialia esse affirmet, heredes verò contradicant, quæritur, an durante processu relinquenda sit in possessione bonorum?* Et hoc utique affir-

affirmandum, cùm verba Constitut. *25. p. 2.* expressè sonent: So lange biß Sie des ihrigen vergnüget/ nisi quid doli aut malitiæ ex parte mulieris adesse judex videat, aut heredes mariti offerant viduæ satisdationem, se id, in quô condemnati fuerint, soluturos. Tunc sanè eam ex bonorum possessione cedere debere autumamus. Moller. *ad d. Const. 25. p. 2. n. 7. 8.* Prætereà si ab initiô eorum nomine datis fidejussoribus vel pignoribus cautum fuerit, tunc similiter viduæ jus retentionis denegamus. Weichb. *art. 24.* Hat Sie aber Bürgen dafür/ so darff Sie die Erben nicht mahnen/ weder in der Güte oder zu Recht/ so soll Sie die Gewehr räumen / und dem Gelubd der Bürgen folgen. Denn Gelubd und Willkührbricht allerhand Recht quoniam aliàs provisio hominis provisionem legis tollit. *l. f. C. d. pact. convent. l. pen. ff. quib. mod. pign vel hyp. solv.* Idem planè dicendum de maritô, cui similiter ratione medietatis donorum dictorum jus retentionis competit in bonis defunctæ uxoris Moller. *d. l. n. 11. & 12.*

§. XIV. Quæstio est: *An maritus accusans civiliter uxorem de adulterio, retineat quoque xenia nuptialia?* Et communis Dd. opinio affirmat, vid. Beust. *p. 2. c. 21. d. Jure Connub.* Mynsing. *Consil. 1. & 43.* Moller. *ad Constit. 21 p. 4. n. 3.* Rectius tamen negatur à Carpzov. *Pr. Crim. p. 2. qu. 64. n 19. seqq.* quia dona nuptialia inter bona uxoris paraphernalia numerantur, meritò quoque idem de iis dicendum, quod de paraphernalibus. Paraphernalia autem de Jure Civili ob adulterium non amittuntur Carpz. *l. c.* Quod si enim, sine expresâ lege nemo jure suo privandus est, & textus nuspiam bonorum paraphernalium mentionem faciunt, consequens sanè est, nec illa facilè amitti. Et hanc sententiam rectè defendunt Carpzov. *l. c.* Bocer. *de adult. c. 5. n. 35.* Berlich. *p. 4. concl. 29. n. 12.* Barbos. *ad l. 2. in pr. ff. solut. matrim. n. 54.* Etiam de Jure Canonicô paraphernalia bona non amittit, quicquid sentiat *gloss. in c. 4. X. d. donat. int. vir. & ux. c. ex parte 10. x. d. consuet.* Bocer. *d. adult. c. 5. n. 15.* Aliud tamen dispositum de Jure Saxonico, quô maritus ob adulterium uxoris paraphernalia, & per consequens, etiam multò magis dona nuptialia lucratur, quippe quæ hoc in foro dotalibus quodammodò annumerantur Carpz. *pr. crim. qu. 64. n. 28. & seqq.*

§. XV. Quid verò, si *quis uxorem ducat, quam posteà ob stu-*

prum

prum ante nuptias commissum, legitimè convictam, retinere recusat, an ille dona nuptialia integra retinebit? Et respondetur, maritum dona illa omnia minimè lucrari, sed partem saltem dimidiam defloratæ restituere teneri; Et sic in supremô Electoris Saxoniæ Consistorio, & à Scabinis Lipsiensibus judicatum esse refert Carpzov. *l. 2. Jprud. Consist. tit. 11. def. 199.* ibi: So wird er der Ehe halben hiermit von ihr loßgezehlet. Er ist aber gleichwohl Beklagten ihr Einbringen/ zusambt dem halben Hochzeit-Geschencke/uf vorgehende liquidation zuerstatten und folgen zu lassen schuldig. V. R. W. & *in pr. Crim. p. 2. q. 63 num. 63.* ibi: aber dasjenige / das C. S ihrem Manne am Ehegelde und sonsten zugebracht / hat sie sich gestalten Sachen nach/weil Sie nicht Ehebruchs halber / sondern wegen ihres begangenen Betrugs und Untreu von ihren Manne geschieden wird/nicht verlustig gemacht.

§. XVI. *Sin* autem *per divortium fuerit solutum matrimonium,* distingvendum erit, an mulier, an verò maritus causam divortii dederit. Quod si mulier per malitiosam desertionem causam præbuerit divortio, expeditum omninò est, hodiè illam nihil de donis istis lucrari, cum se indignam reddiderit illis, sed maritus illa integra retinebit Matth. Berlich. *p. 4 concl. 29. n. 20.* Carpzov. *Pr. Cr. qu. 64.* Quod si verò maritus malitiosâ desertione divortio ansam dederit, uxor non tantùm dotem & propter nuptias donationem, quamvis aliàs neque pactô, neque lege vel statuto ullô ad ipsam prædicta donatio propter nuptias pertineat. *l. 8. §. 4. in f. C. d. Repud. Nov. 117. c. 9. & Nov. 134. c. 10.* Vicent, Hond. *vol. 1. p. 3. Consult. 48. n. 5.* Berlich. *p. 4. conclus. 29. n. 25.* Matth. Coler. *p. 1. dec. 176. n. 44.* Carpzov. *p. 4. const. 21. def. 3.* sed etiam dona nuptialia pro dimidiâ suâ parte ex bonis mariti repetit, cùm illa aliàs pro dimidiâ parte jure dominii habeat.

CAPUT V. ET ULTIMUM

DE

AFFINIBUS ATQUE CONTRARIIS.

SUM-

§ I. Affinia doni nuptialis sunt omnes donationes, quæ fiunt intuitu nuptiarum; differt tamen ab iis omnibus II. Affinia doni nupt. sunt munera illa, quæ uxori tempore puerperii donantur. Non tamen pecunia lustrica III. Dona quæ uxori tempore nundinarum zum Jahrmarckt/ *vel die natalitii* zum Geburthstage / *vel discessûs* zum *valet, vel die nativitatis Christi* zum H. Christ *offeruntur, IV. Aliud dicendum de rebus quæ uxori per legatum &c donatæ sunt V. Contraria recensentur, utpote sunt dissolutio sponsaliorum VI. Proponitur casus VII. Revocatio VIII. Q. an etiam alia admittantur causæ ingratitudinis præter quinq; emuneratas? IX Clauditur dissertatio.*

§. I.

AFfinia donorum nuptialium paucula adhuc adjicere lubet. Possunt autem ea esse (I.) Omnes illæ donationes, quæ fiunt intuitu vel occasione nuptiarum, de quibus supra *c.1. §.8.* dictum est. Differt autem donum nuptiale nostrum ab iis omnibus haud parum. Sic (α.) differt à donatione propter nuptias, quæ fit à sponso sponsæ ob dotis securitatem, ut nimirùm mulieri magis sit cautum de dote matrimonio solutô recuperanda *l. f. §. sancimus C. d. donat. ant. nupt. Nov. 61. c. 1.* quod secus est in donô nuptiali, cùm illud fiat à propinquis & extraneis novis sponsis conjunctim ex merâ liberalitate (β.) differt à Sponsalitiâ largitate, quod hæc fiat inter ipsos novos sponsos propter spem futuri matrimonii, amoris & benevolentiæ conciliandæ gratia Bachov. *ad §. 3. J. d. donat.* Donum verò nuptiale fiat ab invitatis convivis benevolentiæ solius contestandæ gratiâ, cùm votô omnigenæ felicitatis. (γ.) à Morgengabâ sive Morgenatica, quæ uti suprà *l. cit.* dictum in pretium amissæ virginitatis dari solet, atque à solô marito secundô nuptiarum die uxori præstatur. Wehner. *Observ. Pract. voc.* Morgengab. Myler ab Ehrenbach. *in Gamol. pers. Imper. illustr. c. 15. seqq.* quod secus est in donô nuptiali, de quô nos agimus (δ.) à dote ipsâ, quod hæc à sponsæ parentibus vel aliis eorum nomine ad facilius sustinenda matrimonii onera præstetur *l. 20. C. d. jur. dot.* Donum autem nuptiale, ut jam dictum benevolentiæ saltem contestandæ causâ datur. Denique (ε.) ab arrhâ sponsalitiâ, quæ datur non ab invitatis convivis, sed ab utro-

que novorum conjugum, in symbolum, tesseram & probationem sponsaliorum contractorum.

§. II. Porrò (II.) affinia doni nuptialis quodammodò sunt munera illa, quæ uxori tempore puerperii im Kindbette oder in die Wochen/ uti quibusdam locis obtinet, donantur. In acquisitione verò illorum, hîc iterum, uti suprà monitum c. 2. ad intentionem ac mentem donantium respiciendum est. Illi enim, cum æque marito atque uxori donare voluisse præsumantur; hinc dona etiam illa inter eos esse communia ac dividenda statuimus. Offeruntur enim puerperæ in signum benevolentiæ atque lætitiæ ob partum recenter natum, & eô ipsô etiam ad maritum spectant, adeoque utrique conjugum secundùm mentem donantium donatum censetur. Aliud interim dicendum de pecuniâ lustricâ (Patengeld) quæ non parentibus, sed infanti donata censetur, adeoque à nostratibus in peculium quasi castrense infantis numeratur. Idcircò etiam à Patre in alium, quàm infantis, cui donata, usum converti nequit, prout respondit *Consist. Supr. ap.* Carpzov. *J. Consistor. libr 2. def. 172. verbis* Darneben N. auffzulegen / daß er das Patengeld/ so nicht seine/ sondern des Kindes/ wiederumb annehmen / und zu anderer Anordnung nicht Ursach geben soll. Itaque parens in hac pecuniæ administratione tantummodò se habet, ut tutor legitimus, nec sibi in illa dimidiam ususfructûs partem tribuere valet. Quamvis enim hæc pecunia plerumque hâc fini tradatur, ut indè eò largiora alimenta præbere parentes infanti queant, aut ut aliàs in usum ac vestimenta ejus cedat: Attamen, quoniam parens jure naturæ necessaria partui procurare est adstrictus, atque hocce donativum signum administrati baptismi præ se ferat; Igitur ex communi totius Germaniæ observantiâ (utut hoc nesciat Jus Civile) usumfructum, uti aliàs in peculiô quasi Castrensi, Parens non accipit, sed infanti de eadem, quomodocunque velit, disponere licet.

§. III. (III) Dona, quæ uxori tempore vel nundinarum zum Jahrmarckte / vel die natalitii zum Geburthstage / vel discessûs zum Valet, donantur. Hæc iterum utrique conjugi communia esse dicimus. Offeruntur enim uxori intuitu administrationis rerum familiarium. Administratio autem illa pertinet ad res œconomi-

nomi-

nomicas, quas uxor marito præstare tenetur *arg. l. 48. ff. d. oper. libert.* ideoque donantes ad maritum quoque respexisse dicendum est. *arg. l. 7. & 8. ff. pro soc* Munera enim uxori respectu mariti ejusque operarum donata censentur. *arg. Auth. In donatione C. d. secund. nupt.* Quæcunque autem alterius intuitu & gratiâ in alterum conferuntur, perindè habentur, ac si ab illô ipso, cujus respectu hic accepit, hæc consecutus fuisset *l. 19. §. 1. ff. d. pecul. l. 10. §. 6. d. vulg & pup. substitut.* Menoch. *l. 3. præsumt. 28 num. 1.* Joh. Garz. *d. conjug. acq. n. 101.* Dn. Carpzov. J. F. *p 3. c. 25. def. 14. n. 4* ubi præjudicium hisce formalibus refert: Es wird aber der Witben/ woferne Sie zu ihrem Einbringen kieset/ alles dasjenige &c. &c. ihr auch zur Danckbarkeit in Erwegung und Ansehung ihres Mannes geleisteter Dienste und Mühwaltung geschencket worden / billig entrichtet und ausgehändiget V. R. W. Idem planè dicendum de iis donis , quæ uxori Nativitatis Christi die ab aliis offeruntur, was der Frauen zum heilgen Christ oder Neuen Jahr geschencket wird.

§. IV. Sed hîc quoque aliud dicendum de iis rebus, quas uxor constante matrimoniô per legatum, hereditatem , fideicommissum & mortis causâ donationem &c. accepit. Hæ enim pro dimidiâ parte non cedunt marito, sed bonis paraphernalibus uxoris annumerantur. Ac proindè mortuô maritô uxori præ omnibus Creditoribus, si adhuc extent, restituendæ veniunt, non quidem jure prælationis, sed jure dominii quô repetens bona sua omnibus etiam privilegiatis Creditoribus antefertur *l. 7 §. 2. ff. depos. l. 8 C. ad exhib.* Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. disp. 24. v. 7. lit. b. vers. aut apud maritum &c. & lit. g vers. ult.* Carpzov. *l. c. p. 1. const. 28. def. 86. n. 7.* Idem statuendum de aliis bonis, quæ mulieres operis suis artificialibus paraverunt, & posteà maritis tradiderunt, ut si mulier aliquid v. g. ex Chirurgiâ vel aliâ industriâ opera acquisivit, veluti si obstetricum munere functa sit, (quæ scil. curam gerit mulierum signatarum *l. 1. ff. d. ventr. inspic.* de quâ *vid. l. 9. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 2. ff. d. extraord cogn. l. 2. ff d Carb. Edict.* quod officium publicum contra *l. 2. ff. d. R. J.* fœminis est concessum, cum fœmineo judiciô, optimè expediatur. Mart. Benkendorff. *ad d. l. 2*

fall.2.membr.1.p.2.p.106.) vel per artem fericam aliquid lucrifecerit, hocque posteà marito dederit. Hæc de affinibus.

§. V. Dono nuptiali *contraria* maximè est Dissolutio Sponsaliorum. Nuptiis enim haud secutis, etiam nulla erunt dona nuptialia *arg. §. penult.* ibi: *nec dotis nec donationis exactioni locus fit Inst. d. Nupt.* Dissolvuntur autem sponsalia de præsenti nonnisi ex causis gravissimis, & plerumque ex iis, quibus ipsum matrimonium dissolvitur. Tales autem sunt (I.) subsecuta aut etiam antecessa & legitimè convicta *fornicatio* tàm ratione sponsi quàm Sponsæ Carpzov. *Jpr. Consist. L. 2. tit. 10. def. 188.* Cypræ *d. Sponsal. c. 13. §. 55. 56.* Quanquam ratione sponsi sponsalia minimè dissolvi existimaverim, etiamsi sponsa sponsum convincere queat, eum ante Sponsalia Veneri deditum fuisse & sese libidinibus contaminâsse, modò post sponsalia contracta castam vitam instituat. Cypr. *d. l. §. 57. n. 2.* (II.) *furor,* cùm furiosus neque judicium neque voluntatem habere præsumatur. Et quis non abhorreat ab ejus consvetudine, qui furere cœpit, cùm nunquam ad sanam mentem redire præsumatur, ut ait JCtus. Cypr. *d. l. §. 59. n. 1.* Carpz. *l. c. def. 182.* (III.) *atrox delictum,* ut est homicidium dolosum, veneficium, parricidium aut latrocinium Cypr. *d. l. §. 79. n. 1. 2.* Carpz. *l. c. def. 177. 178. seqq.* non verò causa sufficiens dissolutionis sponsaliorum est furtum, cum nec ob illud matrimonium dissolvi possit. Carpz. *5. Resp. 115.* D. Strauch. *Diss. 2. th. 8.* furtum intellige illud, ex quô scilicet sola relegatio irroganda venit. Carpzov. *Jpr. Consist. l. c. def. 178.* (IV.) *Morbus* contagiosus & desperatus, quales sunt scabies Gallica seu Neapolitana, epilepsia vel comitialis morbus, phrenesis, paralysis &c. Cum enim ea sit morborum illorum turpitudo & vehementia, ut alter alterius congressum refugiat & exhorrescat, meritò audiendus est is, qui à promissione discedere cupit, si quidem nulla corporum communicatio accessit Cypr. *d. l. §. 66.* Carpzov. *l. c. def. 180.* Interim tamen propter morbum diuturnum, quô alteruter contrahentium laborat, dummodò sanabilis sit, sponsalia minimè dissolvi posse videntur. (V.) *Vitium corporis,* quod deformitatem insignem affert, v. g. si cui nasus præcidatur, vel oculi exsculpantur *c. quemadmodum 25. X. d. jurejur.* vel si quis claudus, surdus vel mutus fiat, præsertim, si sanita.

nitatis spes nulla reliqua sit. Carpzovius. *loc. cit. defin.* 151. (VI.) *Inimicitiæ* irreconciliabiles, implacabiles & talem alienationem animorum, quæ omnem omninò reconciliationem recusat, secum ferentes v. g. si dicant partes: Sie wolten lieber Todt seyn / als einander Heyrathen / Sie könten nicht bey einander leben. *c. requisivit x. d. sponsal.* Quid enim conjugio magis repugnat, quàm odium & malevolentia, quod amore & benevolentiâ conciliari oportet? Atque hoc eò magis procedit, si non modò sponsa adhuc teneræ est ætatis, vix viripotens, & ab utroque parentum variis persuasionibus metuque reverentiali ad assensum commota fuerit, sed & si Parentes ipsi in consummationem matrimonii consentire nolint. Sic Domini Scabini Jenenses anno 1653. ita pronunciarunt: Ob gleich alle die von der Braut und ihrem Vater angebrachte motiven / und nach beschehener reconciliation vorgegangene Händel an sich selbst der Wichtigkeit und Erheblichkeit nicht sind / daß sie eine zu recht beständiger weise geschlossene Ehe hindern oder auffheben können. Dennoch aber / weil euren andeuten nach die abermahls gesuchte und tentirte Güte / deßwegen ihr allein möglichen Fleiß angewendet / nicht statt finden wollen / noch die Gemüther gewonnen werden können / auch hierbey eine solche Verbitterung / und tieff eingewurtzelter Unwillen sich erzeiget / daß alle Hoffnung künfftiger reconciliation vergebens / und verlohren geachtet wird / auch so die Parteyen gleich mit Gewalt zusammen gezwungen werden solten / hieraus ein sehr gefährlicher und unglücklicher Ausgang zubefahren / und dadurch zu allerhand Ungelegenheit Ursach und Anlaß gegeben werden möchte / gestalt auch der Bräutigam selbst endlich / nachdem er vernommen / wie hoch und theuer und vermessentlich diese Ehe von der Braut Vater und Braut selbsten vermaledeyet worden / und dahero er einen sehr schlechten success zuhoffen / dieß Werck auff der Herrn Consistorialium Erkäntniß gestellet / und auff allen Fall / daß er die Ehetrennung auch wohl seines Theils / iedoch auff gewisse Bedingung geschehen lassen könte / sich erkläret. Als kan disfals bey solcher der Sachen beschaffenheit und dabey befindlichen Umbständen die Ehescheidung wohl statt finden und nachgegeben werden. Fibig. *Coll. Leg. publ. Exerc.* 2. *Semidi. qu.* 2.

 [illegible] Cypr-

Cypr. *l. c. §. 82.* Carpz. *d. l. def. 176.* ubi recedit à sententia; quam de endit in Jurispr. *for. 4. p. 24. def. 16.* D. Richter. *p. 1. decis. 8.* D. Struv. *Exerc. 29. th. 14.* qui præterea nihil interesse putat, an vitia inter causas jamjam adductas recensita, callidè dissimulata fuerint ante sponsalia contracta, an post contractum supervenerint, quoniam nuptiæ nondum obtinuerunt suum essentiale consecutivum, np. conjunctionem corporum, quod tamen jus Canonicum quam maximè secundum institutionem divinam, ad insolubilitatem partium prætendit, ut nimirum factæ sint una caro.

§. VI. Quæritur hinc: *Si quis eo tempore, quô de matrimonio agebatur, donum aliquod obtulerit Sponso aut sponsæ; an illud post repetere, si sponsalia dissoluta fuerint, & matrimonium haud secutum?* Et distingvimus. Aut enim expressè dixit, se propter hoc donare, ut sit doni nuptialis loco; & nullum est dubium, quin repetere possit condictione nimirùm causâ datâ causâ non secuta. Sed quid si causam illam donationis non adjecerit, cum, notante Brunnem. *ad l. 2. C. d. donat. ant. nupt. in fin* causæ donationis rarò soleant allegari, quid in dubiô dicendum? Glossa *ad l. c. 2.* ut & alii Dd. distingvunt, utrum donatum repetatur condictione causa datâ, causâ non secutâ, an verò condictione sine causâ; priori casu repetitionem cessare asserunt, quoniam condictioni causa data, causa non secuta, minimè locus sit, nisi causa exprimatur, & quod voluntas in mente retenta nihil operetur *l. 7. C. d. condict. caus. dat. l. 3. §. 7. ff. eod.* posteriori verò casu repetitionem locum habere. Brunnemannus quidem *ad d. l. 2. C. d. donat. ante nupt.* statuit, quòd donatio ab aliquo novis sponsis eô tempore facta, quo de matrimoniô agitur, in dubio ob causam nuptiarum facta censeatur, adeoque nuptiis haud secutis donator repetens donatum, pro se habeat juris præsumtionem, quod non simpliciter rem donaverit, sed intuitu matrimonii *arg. l. 25. ff. d. probat.* Sed tamen, cum in *d. l. 2.* specialiter hoc requiratur, ut causa exprimatur, proindè pro simplici donatione tàm diu standum, donec contrarium probetur.

§. VII. Præterea dono nuptiali contrariatur *Revocatio*, quam tamen hîc non facilè concesserim, præsertim, si ista donatio perfe-

cta

cta fuerit, & donum exigui admodum, quod hodiè plerumque fieri solet pretii sit. Accidit tamen aliquando, ut non minùs quàm alia donatio revocari queat, si fortè donatarii erga donatorem ingrati existant. *arg. l. ult. C. d. revoc. donat.* & *§. 2. J. d. donat.* Idque non immeritò, cùm satis injustum sit, injuriam pati ab illis, in quos beneficia collata, cùm multò magis liberalitas donantis ad obsequia inclinare, quàm ad insolentiam donatarios erigere debeat *l. 1. C. d. revoc. donat.* Causæ autem ingratitudinis legibus definitæ quinque numerantur. in *d. l. ult. C. d. revoc. donat.* quas sequentibus versiculis, licet non adeò comtis, inclusas legimus:

Quinque modis perdo mihi quæ donata fuere,
Infero si damnum graviter donantis in ære
Si per me sit huic atrox injuria facta,
Et sua persona naturali vulnere tacta,
Quando suæ vita crudeliter insidiabor,
Ingratum factum dic me sic fregero pactum

§. VIII. An verò etiam ob alias ingratitudinis causas æque graves ac graviores donum nuptiale revocari possit? non adeò expeditum est. Pro negativa *C. J. Arg. ad tit. d. Donat. d. 21. n. 1.* Molina *Disp. 281. n. 8.* Strauch. *Diss. 8. d. 29.* Carpz. *p. 2. c. 12. def. 31.* Philip. *Us. pr. Inst. l. 2. ecl. 38.* pugnant Affirmativam tenent Gomes *tom. 2. var. resol. l 2. c. 4. n. 14.* Clar. *lib. 4 sent. §. donatio quæst. 21. n. 2* Bachov. ad Tr. *vol. 2. disp. 19. d. 7. lit. t. D.* Struv. *Exerc. 40. d. 15.* Nobis de rigore Juris negantium opinio verior videtur, propter expressa finalia verba *d. l. ult.* ibi *ex his enim tantummodo causis* &c. Si tamen rem æquitate ac rationibus metiri velimus, vix est ut hactenus recedamus planè ab istâ DD. plures causas admittentium sententia. Tandem revocari quoque donum illud potest, si immodicum sit, & tantum, ut legitima heredibus donatoris non sit salva *arg. l. 2. & 3. C. d. inoff. donat.*

§. IX. Et hæc fuere, quæ de donis nuptialibus in medium afferre visum fuit. Addi quidem potuissent plura, sed propter chartæ angustiam, cui pepercimus, longiores esse noluimus. Vale interim, L. B. & hæc pro ingenii modulô posita benevolentiæ tuæ calculo prosequere, nobisque favorem tuum inposterum conserva.

TANTUM!

SCAZON.

His nempe claris fructibus labor gaudet
Non inter unquam ruptus! hosce declinans
A pigriorum desidi situ longè,
Prognata cœlo proniore mens, fœtus
Desideratos publicam edit in lucem!
Matinæ apis modôque, Fautor, ac more
Flores amœno floridi optumos juris
Carpsisti ab hortô, plurimo quod hoc scriptum
Labore collectum probat satis. Perge
Amœniores inde colliges olim
Fructûs Tibi,! queîs Diva Te coronabit
Themis, clues dum Patriæ decus terræ
Operæque largô Tete fœnore ornabit:
Verâ Tibi, *Keyslere*, quod precor mente

PRÆSES.

Sic quoque DONA TIBI exhaustos post mille labores
Effusâ dextra porriget alma Themis:
Hæc TE præclarè sublimibus inseret astris
Qui sacra Pegasei Numina fontis amas

BERNHARD Pfretzschner L.L. STUD.

Cum *tribus* alma *duos* fovit nos GERA per *annos*
Unâ colentes Sacra Musarum piè
Hactenus heic ambos Clariô sub Apolline largas
Salana vidit per *duas vindemias*
Semper honoratas struxisti sedulus aras,
Cultu Vacunæ denegatô, Strenuæ.
Hinc varii specimen venit hoc insigne laboris,
Scriptum eruditum Nomen æternans Tuum.
Grator & ingressô pergentem tramite sat TE
Dignô ominor, Themin statuturum locô

Quod Nobilissimo Dn. Keyslero, amico suo intimo atq; exploratissimo sincerâ mente adprecatur.

DAVID Wendler. Neost. Var. S. S. Theol. Stud.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

SUMTIBUS CONVIVII NUPTIALIS,

Von

Hochzeit- und Beylager-Kosten/

QUAM,

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

PATROCINANTE

DN. HEINRICO BALTHASARE Roth/

JCTO AC ANTECESSORE CELEBERRIMO, CONSILIARIO SAXONICO ET SCHWARTZBURG. CURIÆ PROVINCIALIS AC SCABINATUS ASSESSORE GRAVISSIMO, p. t. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO SPECTABILI.



DN. PRÆCEPTORE, PATRONO ET MOECENATE SUO MAGNO, SUMMO HONORIS ET OBSEQUII CULTU ÆTATEM DEVENERANDO,

IN JCTORUM AUDITORIO

Ad d. Martii

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET

GODOFREDUS WOLFIUS,

Löbejunâ Saxo.

JENÆ

Typis NISIANIS, ANNO M DC LXXXIII.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Convivium justum atque legitimum rem non modò honestam, utilem atque jucundam; verùm etiam sacram quodammodo, divinam & religiosam esse, sive originem spectemus, sive finem usumque legitimum, tacitè patebit. Ac ORIGO quidem conviviorum antiquissima est, quæ ab ipso humani generis primordio repetenda & ad ipsum Deum ceu primum autorem referenda esse videtur: quippe qui statim in Paradiso, in beatissimo illo florentissimoque mundi statu primos parentes nostros firmo stabilique matrimonio copulatos non μονοφάγους instar cyclopum, sed ὁμοφάγους & ὁμοτρέφους i. e. victûs communione conjunctos esse voluit; quin & postmodum electo suo uniceque adamato judæorum populo certa quædam convivia summâ cum lætitia atque gaudio celebranda præscripsit atque mandavit. *Conf. Exod. 12. Deut. 14. v. 16. seqq. & c. 16.* FINEM quod attinet conviviorum, ipse pariter augustus atque divinus est. Namq; legitimus eorundẽ usus non in cibi potusq; deliciis ac voluptatibus terminari, sed potiùs ad mutuam animorum conjunctionem, stabiliendamque humanam societatem, quin & ipsius Divini Numinis clementiam nobis conciliandam ordinatus esse debet. Non aliam sanè ob causam ille supremus rerum omnium conditor Protoplastos nostros ejusdem cibi victusque communione (sicut antè di-

ctum) uti voluit, quàm ut arctiore firmioreque societate atque amoris vinculo isti constringerentur, ipsiusque SS. Nomen uno quasi ore atque corde svavique concentu colerent atque celebrarent. Quid dicam de epulis illis, quæ in V. T. post peracta sacrificia (*vid. I. Sam. 1,4. C. 9, 13. & C. 16, 2. seq.*) celebrabantur? Quid de epulo Paschali cæterisque festivis conviviis? Sanè non aliam ob caussam hæc omnia instituta fuerunt, quàm ut religione erga Deum & amicitiâ mutuoque amore inter se populus conciliaretur. Eodem referenda sunt epulæ illæ primitivæ Ecclesiæ statim post SS. Communionem celebrari solitæ, quas ad mutuam Christianorum amicitiam charitatemq; alendam atque fovendam spectâsse, vel ipsum nomen Ἀγάπης, quo fuerunt insignitæ, satis superque testatur. *vid. Petr. Gregor. Tholosanus L. 13. de Republ. C. 18. n. 4. Magnif. Dn. Schilter. in Instit. jur. Can. L. 2. tit. 3. §. 18.* Atque (ut à sacris discedamus) ad hunc verum & genuinum conviviorum finem rerumpubl. benè constitutarum moderatores in instituendis publicis privatisque epulis subinde respexerunt. Ita ex Plutarcho & Dionys. Halicarn. de Numa Pompilio Rege Romanorum & Lycurgo Lacedæmoniorum Principe Bodinus refert, quod cives non tantùm sodalitiis ac societatibus, sed etiam perpetuis conviviis devinxerint *L. 3. de Republ. C. 7. n. 326. seq.* Et Valerius Max. *L. 2. C. 1. Convivium*, inquit, *solenne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adbibitis, tolleretur.* Sicuti etiam de veteribus Germanis Cornel Tacitus *Cap. 22. n. 4.* scribit, quod in conviviis isti soliti fuerint

inimicos

inimicos sibi invicem reconciliare atque in gratiam reducere, amicitias affinitatesque contrahere. Ex dictis, ut puto, satis liquet, convivia honesta, atque moderata haudquaquam damnanda aut à Christiani hominis officio separanda esse. Facessant igitur, quicunque vel superstitione, vel misanthropia quâdam Cyclopica, vel avaritiâ ducti ab omni prorsus conviviali consvetudine abhorrent, ut ad convivia alios invitare aut invitati aliorum conviviis interesse nefas existiment. Facessant quoque, qui omnem conviviorum usum è republ. proscribendum, nec, ut exterorum mensas Cives adeant, permittendum esse propugnant: quorum castra sequi videtur Carolus Scribanus *L. 2. C. 19. de prudenti ac relig. gubernat.* Cujus equidem argumenta ad tollendum conviviorum abusum benè collimant; sed ad legitimum eorundem usum evertendum longè infirmiora existunt. Quin & ipse sibi contrarius videtur *in Polit. Christiano C. 26. p. m. 495.* ubi, dum temperantiam commendat Legato, hæc subjicit verba: *Non quod Legatum à conviviis arceam, arceo ab ebrietate: quin adeò si conscius ipse sibi temperantiæ suæ est & imperare gutturi potest, non aversetur convivia, fors inter liberiora aliorum pocula discet, quod nec ingenio, nec auro posset; ferè enim aliquid inter convivales hilaritudines elabitur, quod scire Legatum deceat. Quin & convivia ipse nonnunquam instituat, ne avarus audiat, audiat splendidus &c.* Sanè si conviviis interesse cum peccato semper animæque periculo esset conjunctum, necLegato istud liceret, quippe quem arcanorum studium atque splendoris solicitudo hautquaquam excusare potest, nec facienda mala sunt, ut boni quid inde eveniat. Planè illud negare vix possumus, quod pravis plurimarum gentium (eheu!

 Christia-

Christianarum quoque) moribus justa convivandi ratio fermè negligi, & in effrenam luxuriam crebrasque comessationes abiisse Convivia, hisque nomen suum reliquisse videantur; quæ tamen perniciosa & exitialis communibus pariter atque privatis rebus comessandi libido, in benè constitutis rebuspubl. Legibus, qvas sumtuarias vocant, (*vid. Macrob. L.3. Saturnal. C.7. & AGell. L.2. C.24. Noct. Attic.*) & olim refrenata fuit & hodiè reprimitur, sicque pessimus conviviorum abusus ab usu utilitateque haut minimâ optimè secernitur. Sed sufficient, spero, hæc, quæ generatim præfari de conviviis placuit, ut eò commodius inde quid in specie circa Convivia nuptialia eorumque sumtus justum vel injustum sit, dijudicari queat. Nunc itaque Divini Numinis auspicio atque ope Tractationem ipsam aggredior.

THESIS I.

ATque ut eo facilius feliciusque deinceps progredi liceat & methodo hactenùs consvetæ sua maneat auctoritas, primus circa voces, quibus Rubrica constat, labor suscipiendus & tàm nominis quàm rei definitio breviter tradenda erit. Ubi, si ordo scripturæ servandus est, primò se offert Vocabulum SUMTUS; Hoc à Verbo *Sumo* (quod ex *sub* & *Emo* est compositum; *emere* enim antiquis notabat *tollere, auferre*, quem significatum etiam reliqua inde descendentia verba, v. g. *demo, adimo, promo,* retinuerunt) quia insumitur sive impenditur, ortum trahere, ferme indubium est. Vid. Vossius *in Etymologico Lingvæ Lat. Voc.* SUMO. Ejusque duplex occurrit acceptio, (1) enim ipsum *actum* sumentis & (2) *pecuniam*, quæ in rem aliquam impenditur, denotat. Vid. Corvinus *in Fonte Latinit.* aliique Lexicographi. Posteriorem hujus tractationis esse facilè patet; Estque hæc iterum vel *generalior*, & denotat quasvis etiam modicas & moderatas in rem

Definitio nominalis

factas

factas impensas; vel *specialior* atque *strictior*, prout à Cicerone sæpenumerò pro impendiis magnis, immodicis atque luxuriosis vox ista usurpatur, ut *in Orat. pro M. Cœlio 35. nulla luxuries reperietur, nulli sumtus, nullum æs alienum*, & *ibid. 12. sumtus unius generis objectus est habitationis, triginta millibus dixistis eum habitare.* Hinc etiam *sumtuosus* dicitur qui magnos sumtus facit Cic. in *Parad. 62. & 2. de Oratore 74.* Et *sumtuosum*, quod magno comparatur aut servatur pretio, ut domus sumtuosa, sumtuosa familia Terent. *Adelph. 4. 7. 42.* Hoc loco vocem SUMTUS generaliter accipimus, ejusque Synonyma sunt Expensæ Expensum, Expensa, Impensa, Impendium. &c.

TH. II.

CONVIVII vox vel à *Convivari*, quod est convivium facere (Ter. *Heavt. Act. 1. Sc. 2. 32. scortari crebro nolunt, nolunt crebrò convivarier* & Cic. *5. in Verr. 86. quotidiè solitum esse non solùm in publico, sed etiam de publico convivari*) vel à *Convivere*, quod significat unà vel simul vivere, deducitur. Cujus derivationis rationem eleganter tradit Cicero *de Senect. 42.* ubi inquit: *Benè enim majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominârunt, meliùs quàm Græci, qui hoc idem; tùm compotationem (συμπόσιον) tùm concœnationem (σύνδειπνον) vocant.* Unde simul patet, abusivam esse *Convivii* pro quâvis comessatione vel compotatione acceptionem; genuinã verò, quatenùs honestam jucundamq; amicorum hominum ejusdem cibi atque potûs, nec non sermonis communionem denotat. Sunt alia quoque permulta vocabula magis specialia, quibus idem exprimitur, certa quædam conviviorum genera significantia, quæ tamen sæpè numerò ad quodvis convivium generatim significandum adhibentur, cujusmodi sunt; Epulæ, Epulum, Epulatio, Prandium, Cœna &c. Mensæ quoque vocabulum, præsertim in plur. numero haut rarò per Metonymiam pro Convivio usurpatur, ut mensæ primæ, secundæ, Syracusanæ, Italicæ, de quibus prolixè agit Stuck. *L. 1. c. 6 & L. 3. c. 2.* Item sodalitas, conventus, congressus, convictus, cœtus, convivarum congregatio Convivium appellatur à Macrobio *L. 1. Saturn. c. 5.* Germ. vulgo Gasterey/Gastmahl/Banquet etc. dicimus.

Quod

TH. III.

Quod denique Vocabulum NUPTIALIS attinet, derivatur illud à *Nuptiis*, quas à *nubendo*, i. e. velando & operiendo denominatas esse, & verius videtur & communiter placet. Causa appellationis ex eo est, quòd sponsa, cùm ad maritum deduceretur, pudoris gratia & in signum subjectionis faciem flammeo obnuberet sive velaret. Vid. Voss. *in Etymolog. h. Voc.* & Oldend. *Class. 4. Act. 26. in pr.* Schneidew. *in Comment. ad Inst. de Nupt. sub rubr. de nuptiis licitis. n. 1.* ubi simul varias Nuptiarum significationes exhibet. Denotat autem τὸ *Nuptiale* omne id, quod ad nuptias pertinet seu in nuptiis adhibetur. Sic dicimus nuptiale donum, carmen nuptiale, Currus nuptialis, faces nuptiales &c. Simili significatu gaudet voc. *Nuptalitium*, quod occurrit *in l. 194. ff. de V. S.*

TH. IV.

Non autem illud solùm *Nuptiale Convivium* h. l. intelligimus, quod in ipsis Nuptiarum festivitatibus, seu primo Nuptiarum die celebratur, & passim ab Auctoribus Classicis *Cœna nuptialis* appellatur; quomodo Plautus *in Curculione Act. 5. Scena penult:*

Tu ut hodiè adveniens cœnam des sororiam.
Hic nuptialem cras dabit.

Et Apulejus *Lib. 6. nec mora cum cœna nuptialis affluens exhibetur:* Veteres enim unum saltem diem convivio nuptiali destinârunt, quorum propterea frugalitatem laudat Cypræus *de jur. Connub. C. 1. §. 2. n. 13.* Verùm etiam ea, quæ primis nuptialem festivitatem insequentibus diebus peraguntur, *Convivia* hûc trahimus, quæ *postnuptialia* vocantur, it. *Repotia*, Nachhochzeit/ vid. Ordin. Polit. Elect. Sax. de An. 1661. tit. 14. §. 12. verb. Es sey am HochzeitTage oder zur NachHochzeit 2c. Quin nec illam excludimus *Cœnam*, quæ pridiè nuptiarum peregrè advenientibus apponitur, ad quam Paranymphi quoque & pauci ex cognatis proximis invitari solent. Pertinent huc quæ nostra Germ. lingva vocari solent Bittessen/ PolterAbend/ Walzerabend &c. vid. Fürstl. Gothaische LandesOrdn. *Part. 3. N. 29.*

Unde

TH. V

Unde SUMTUS CONVIVII NUPTIALIS nobis sunt, qui à novis sponsis, eorumve intuitu ab aliis, ad honorificè excipiendum convivas nuptiales erogantur. Dividi possunt ratione formæ *in legitimos* atque *moderatos*, qui intra modum Legibus Statutísve præfinitum erogantur; & *luxuriosos*, qui contra præscriptam rationem fiunt. *Definitio realis.* *Divisio.*

TH. VI.

Quanquam autem exactè scire vix possimus, quo tempore & à quibus hominibus primùm *nuptiales epulæ* instructæ fuerint, certum tamen est, antiquissimum hoc esse institutum & gentibus communissimum. Nuptiarum enim festivitas sicut omnibus ferè temporibus & apud plerasque gentes plurimis solennitatibus variisque ritibus, de quibus vid. latissimè Henning. Arnisæus *de jur. Connub. C. 3. sect. 12 num. 18. & seqq.* Joach. à Beust. *in simili Tract. P. 2. in Præfat. §. fuerunt & gentium ritus.* Gerhard. *in Loc. de Conjug. §. 461.* Hottomannus *de jure Connub. C. 14. & seqq.* ita quoque magnificis atque splendidissimis conviviis celebrari consuevit. Inter Sacra, quibus Hebræorum mos probatur, vetustissimum est exemplum Labani, qui daturus filiam Jacobo, omnes ejus loci incolas invitavit atque nuptiale convivium apparavit *Gen. 29. v. 22.* Posthinc celebres maximè sunt Samsonis nuptiæ, quas ille Thamnathâ Palæstinorum urbe, postquam Palæstinam quandam in uxorem duxerat, ex more juvenum celebrâsse legitur, quæ septem dies duraverunt *Jud. 14.* Celeberrimum in N. T. est illud nuptiale convivium, quod Canæ Galilex celebratum fuit, cui Ipsemet Servator noster unà cum sanctissima suâ matre atque discipulis interfuit, illudque primo illo suo atque insigni aquæ in vinum conversæ miraculo decoravit *Joh. 2.* Ad Persarum hâc in re consuetudinem probandam spectat magnum illud nuptiale epulum, quod Ahasverus Rex, postquam Estheram, repudiatâ Vasthi, duxerat uxorem, omnibus Principibus atque servis suis instruxisse legitur *Esther. 2. v. 18.* similiter apud Græcos conviviorum nuptialium usum frequentem fuisse minimeque vulgarem eo- *Causa Efficiens remota.*

rum apparatum ex Plutarcho, Homero, Athenæo aliisque probatissimis scriptoribus deducit Stuckius *L. 1. Antiquit. Conivival. c. 24.* Nec minus Romanorum in nuptialibus symposiis summam olim magnificentiam seu luxuriam potiùs fuisse, passim profani auctores testantur, ità ut exemplorum commemoratione mihi supersedendum existimem vid. idem Stuckius *d. l.* In Veteri Ecclesia primis post Apostolorum tempora seculis, ob perpetuas persecutiones angusta & occulta fuerunt, si qua fuerunt, nuptiarum convivia, inde primi Ecclesiæ scriptores parciùs, imò vix uspiam, convivii in Christianorum nuptiis peracti meminerunt, Hildebrand. *in Tract. de nuptiis veter. Christian.* Ineunte vero seculo IV. Synodus Neocæsareensis Presbyteros convivio in secundis nuptiis interesse vetuit, quæ prohibitio convivia nuptialia Vet. Eccles. fuisse demonstrat.

TH. VII.

Non verò præcisè necessarium est, ut in contrahendo matrimonio hunc morem sequamur: quippe nuptiales epulæ nec ad essentiam, neque ad consummationem ejusdem spectant, indeque benè omitti possunt Dn. Carpz. *2. Jurisprudent. Consist. 150. n. 2.* secus atque res se habet cum sacerdotali benedictione, quæ quidem non ad essentiam, ad consummationem tamen matrimonii hodiè omninò requiritur, & apud omnes ferè Christiani nominis gentes, quin & apud Græcos, Abassinos, Russos atque Armenios constanter observatur, uti de singulis probat Nobiliss. Dn. Petrus Muller. P. P. in hac Sal. Celeb. *in Dissert. de Hierologia Sect. 1. th. 4.* Sicut etiam solemnis illa, & tam Græcis quam Romanis olim usitata sponsæ in domum deductio (in cujus locum sacerdotalis benedictio hodie successit vid. Cypr. *de jur. Connub. P. 1. C. 11. §. 15. & 20.* Wesenb. in *Parat. ff. de rit. nupt. n. 5.* Harprecht. *ad rubr. Inst. de nupt. n. 123.*) non perficiendi, ast tamen consummandi matrimonii causa fuit adhibita per *text. in l. 5. ff. de rit. nupt.* ibique Gloss. *l. 15. ff. de Cond. & demonstr add. d. Diss. sect. 1. th. 7. circa fin.* Quâ autẽ solemnitate atque pompa hæc ad domum deductio olim peracta fuerit, prolixe tractat Cypræus *d. Tr. P. 1. c. 4. §. 5.* Reliquiæ quædam

dam

dam istius deductionis pristinæ adhuc hodiè in personarum Illustrium atque Nobilium nuptiis remanserunt, quas vocant die Heimführung vid. Wehner. *in observ. pract. sub hâc voce.* Renneman. *in Jurispr. Rom. Germ. de jur. person. disp. 41. th. 52.* & integram Dissert. *de Illustrium Imperii personarum Deductione ad domum* Altdorffii sub præsidio Dn. Heinrici Linckens Ao. 1681. editam.

TH. IIX.

Igitur in cujuslibet arbitrio est positum, utrum convivio nuptialem celebritatem adaugere, an verò sumtibus planè parcere velit; quamvis forsan rarius accidat, ut sine omni epulatione nuptiarum tempus transigatur: Carpz. suprà *cit. loc.* Quippe ut majori quodam splendore atque lætitiâ nuptiæ celebrentur, earum dignitas atque excellentia videtur exigere; ast convivium justæ debitæq; lætitiæ symbolum est atque conciliandi splendoris optimus modus optimaque ratio. Unde Pontanus *in lib. 4. de Conviventia* dicit: *si qui in celebritate nuptiarum nimis restricti sunt atque sordidi, avaritiæ sibi suspicionem pariunt, ac proinde cùm in publicum populi universi, tum in privatorum, cognatorum, affinium, familiarium atque amicorum contemtum odiumque incurrunt.* Idque eò magis, quòd à recepto more recedant, quem tamen sequi decebat eos, qui non facultatibus omnibus sunt destituti. Dn. Carpz. *d. l. def. 149. n. 6.* Præterea nuptiarum celebritas atque pompa (sic vocatur in *l. 21. 22. 24. C. de nupt.*) suspicionem tollit & prolis certitudinem arguit, contraque omnis solitudo monstri aliquid & suspicionis alit. Cypr. *d. cap. 4. §. 4. n. 4.* Unde Clitipho *l. 6. amatoriar. Achillis Statii; Confidebam,* inquit, *argumentis me convicturum, me nequaquam mœchum esse, propterea quod palàm nuptiæ factæ sunt;* At verò Convivium ad celebritatem nuptiarum pertinet, Carpz. *d. l.* quod sanè in occulto fieri nequit. Quid? quod & ipsa honestatis ratio quodammodo suadeat, ut Neonymphi convivium aliquod invitatis amicis atque cognatis suis instruant. Cùm enim hi non solùm testimonii cujusdam causa, quod scil. novi conjuges non clanculum & in occulto, sed coram ipsâ facie Divinâ & in conspectu honestissimorum hominum matrimonium

Caus. Impuls.

inierint, accersantur Conf. Cypræus *d. l. n. 3.* Verùm etiam ut festivitatem nuptialem suâ præsentiâ celebriorem reddant, &, quod potissimum est, ut pro felici matrimonio attentas preces ad Deum fundent, daß sie den Kirchgang bezieren und mit ihren Christlichen Gebeth um eine gedeyliche Ehe bey Gott vorbitten helffen wolten/ quæ formula literis invitatoriis plerumque inseritur. Vid. Magnif. Dn. Struv. *in Dissert. de Invoc. Nom. Div. th. 17. Lit. B.* idcircò meritò novi conjuges redhostimenti loco pro exhibito isthoc favore atque beneficio invitatos honesto convivio (cùm hâc vix commodior gratum testificandi animum via ipsis suppetat) excipiunt.

TH. IX.

Causa Effic. propinqua. Quæ cùm ita sint, prudenter admodum agunt desponsati, si, quod plerumque hodiè fit, ipso sponsaliorum tempore, circa nuptiarum apparatum faciendum certi quid statuant & quam quisque SUMTUUM partem ferre debeat, pactis conventis determinent. Secùs enim verendum est, ne invicem hâc in re dissentiant & rixarum postmodum atque discordiæ tricis in ipsis matrimonii præludiis involvantur. Paciscuntur autem vel ipsi desponsati, qui, modò perfectè consentire possint, & curatorum, si quos habent, consensum adhibeant, (vid. prælaud. Magnif. Dn. Struv. *in Synt. J. Civ. Exerc. 6. th. 36. seqq.*) validè inde obligantur, ut alterâ parte invitâ non liceat à placitis discedere *C. 21. de R. J. in 6to. l. 1. pr. ff. de pact. l. 51. C. de O. & A.* Neque ad firmitatem conventionis hodiè opus est, ut in stipulationem ea deducatur, cum moribus nostris ex pacto non minùs, quàm ex stipulatione detur actio Carpz. *P. 2. jurisprud. Const. 19. def. 17.* Brunneman. *ad L. 10. C. de pact. n. 7. seqq.* Mev. *p. 5. Decis. 407.* Add. Magnif. Dn. Lyncker. *in Dissert. de Pactis th. ult.* Et valent hujusmodi pacta nuptalitia, licet vel maximam inter partes inæqualitatem inducant; cùm quilibet pro arbitrio suo ab initio conventioni legem dicere possit, quam postmodum servare omnino obstrictus est *l. 5. C. de O. & A. l. 35. §. fin. C. de donat. l. 1. §. 6. depos.* Neque vitiatur conventio, si sponsus v. g. in favorem sponsæ atque donationis causâ Nu-

PTIA-

PTIALEM IMPENSAM omnem promiserit, quippe notissimi juris est, inter sponsum & sponsam donationem subsistere *l. 27. l. 36. §. 1. ff. de don. inter vir. & ux. l. 6. C. de don. ante nupt.* Carpzov. *p. 3. Const. 19. def. ult. & 2. Const. 13. def. 19.*

TH. X.

Quær. autem hîc *num in foro Saxon. ad validitatem conventionis, quâ ad SUMTUS NUPTIALES sese obligat sponsa, curatore opus sit?* Quod neg. tàm de jure Sax. *Communi*, quo Virgines atque Viduæ extra judicium omnia validè agunt absque Curatore Richt. *Dec. 27. n. 22.* Dn. Struv. *Exerc. 31. th. ult.* quàm *Electorali* per *Constit. Elect. 15. circa fin. p. 2.* ubi de rebus mobilibus fœminis innuptis libera disponendi facultas conceditur vid. *ib.* Carpz. *def. 15. & Dec. Illust. 143. n. 19. add. eund. 5. Resp. 62. n. 6. seqq.* Deniq; non impedit patria potestas, quominùs sponsus sponsave ex conventione suâ obligetur *l. 57. ff. de judic. l. 39. ff. de O. & A. l. ult. §. 2. de V. O.* Sed *num ex hâc causâ pater de peculio conveniri possit quæritur?* Quod affirmamus arg. *l. 3. §. 9. seqq. & l. 41. ff. de pec.* Non obstat, quod donare atque profundere videatur filiusfam. peculium, dum præter necessitatem ad sumtuum convivii nuptialis erogationem se obligat, cùm tamen abque illis sumtibus nuptias poterat contrahere; ast donationem ne quidem in liberâ peculii administratione contineri ex *l. 7. pr. ff. de donat. l. 28. §. 2. ff. de pact. l. 1. §. 1. ff. quæ res pignor.* constat. Resp. Quod tacita hîc subesse censeatur patris voluntas; cùm enim non facilè paterna pietas istiusmodi impendia liberis deneget, maximè quod ad ipsius parentis honorem atque existimationem pertineant Coler. *p. 1. Decis. 62. n. 29.* Finckelth. *obs. 66. n. 4.* Inde justâ ratione motus filiusfam. neque contra patris voluntatem eadem promisisse, nec omnino perdidisse videbitur vid. *d. l. 7. §. 1. ff. de donat.* junct. *l. 12. §. 3. de adm. & peric. tut.* modò nuptiales expensæ dignitati atque facultatibus paternis congruæ sint promissæ arg. *l. 69. §. 4. de jur. dot. l. 43. ff. de leg. 3. d. l. 12. §. 3. de admin. tut.* secùs enim prodigalitatem promissio omnino saperet, nec patrem ultra modum obligaret arg. *d. l. 7. pr. de donat.*

TH. XI.

Vel (2) sponsi sponsæve aut utriusque nomine alii paciscuntur: utputa PARENTES, quippe qui utplurimum impendia nuptiarum suppeditant, atque adeò pactis sibi liberisque prospicere possunt *§. 19. Inst. de inutil. stipul. l. 38. §. 20. ff. de V.O.* Carpz. *2. Const. 33. def. ult.* ast in præjudicium liberorum pacta parentum non valent *l. 7. C. de jur. dot.* CURATORES, *l. 15. ff. de pact. & t. t. ff. & C. quand. ex fact. tut. vel Cur.* quorum tamen pactio ita debet esse comparata, ut honestatem quidem respiciat, ast non liberalitatem sapiat, *l. 12. §. 3. l. 13. §. fin. de admin. tut.* Nam dotem quidem & donationem propter nuptias, & alia ad elocationem nuptiasque necessaria adultis præbere possunt & debent, *l. 52. ff. d. t.* at cùm ad dignitatem & facultates eorum *l. 13. pr. eod. l. 60. de jur. dot.* tùm maximè ad modum debitum adstricti sunt. *l. 9. C. de admin. tut.* Mev. *2. Dec. 121.* Caveant ergò sibi Curatores, ne majores faciant aut promittant nuptiales sumtus, quàm bonorum dignitatisque ratio efflagitat. De suo enim solvere tenentur, si scienter modum excesserunt; *l. 43. §. 1. ff. d. t* ibique Brunnemañ. sin ignoranter, quod supra vires promissum est, nullum est *d. text.* Menoch. *3. præsumt. 1.* Perez. *ad tit. C. de dot. promiss. in fin.* Carpz. *2. Const. 42. def. 16.* PROCURATORES, *l. 10. §. ult. cum seqq. ff. de pact. §. 6. Inst. per quas person. cuique acquir.* modò hi mandati fines diligenter custodiant *l. 5. pr. ff. mand.* secùs enim non obligant mandantem *l. 12. C. de pact.* & non solùm huic, sed & compaciscenti, si nim. mandans ratificare pactum nolit, ad interesse tenentur: Carpz. *p. 2. Const. 20. def. 11. seq.* sin nullis circumscriptum fuerit finibus mandatum, ad præsumtam mandantis voluntatem istud reducendum & quod bonæ fidei congruit, agendum est: *l. 35. l. 46. l. 60. §. fin. ff. mandati.* Inde excusabitur mandatarius, si, quod dignitati atque facultatibus mandantis, pro negotii hujus ratione convenit, atque ex more regionis, ubi nuptiæ debent peragi, decorum est, in conventionem deduxerit: Id enim mandans in dubio voluisse præsumitur, quod moris est, arg. *l. 34. ff. de R. J.* & procurator consueta faciens non censetur mandati fines excessisse. Brunneman. *ad l. 5. ff. mandati n. 3.* Denique omnes,

qui

qui sponso sponsæve ad præstanda nuptiarum impendia obligati sunt, pacisci desuper cum alterâ parte possunt, ob proprium scil. interesse, *per §. 19. Inst. de inutil. stip. l. 38. §. 20. de V. O.* Carpz. *p. 2. Const. 33. def. ult.* Quin & hodiè quivis extraneus, licet sua nihil intersit, sponso sponsæve nuptiales impensas stipulari potest, si, quod multi tradunt, regula de non quærendâ alteri per alterum obligatione, ab usu fori in Germania recessit Cothman. *resp. 54. n. 87. Vol. 2.* Mev. *p. 4. Decis. 111. n. 5. 6.* Magnif. Dn. Struv. *in Diss. de Invoc. Nom. Div. th. 21.* Magnif. Dn. Schilter. *Exerc. π. IIX. th. 23. seqq.*

TH. XII.

Cæterùm hujusmodi conventionibus à parte sponsæ haut raro adjicitur pactum, ut sponsus nuptiales impensas à sponsa ejusve nomine ab alio factas, dotis nomine accipiat & soluto matrimonio easdem restituat: Carpz. *p. 3. Const. 20. def. 37.* quod interdum etiam nuptiis jam peractis, tacitè & ex ipso facto inducitur, puta, si socer diligenter hosce sumptus consignârit & dotis loco æstimârit, gener vero hanc consignationem acceptet & socero super istis expensis apocham exhibeat vel saltem in dotem imputationi non contradicat: acceptatio enim inducit patientiam, consensum & obligationem Tuschus *Pract. Conclus. Lit. A. Conclus. 70. n. 4. & Lit. S. Conclus. 69. n. 6.* Hering. *de fidejussor. C. 24. n. 235.* Et quietatio obligat scribentem ad causam in eâ expressam. Mascard. *de probat. vol. 3. Conclus. 1252. n. 29.* Munnoz. de Escobar. *de ratiocin. administr. C. 40. n. 22. seqq.* Finckelth. *obs. 66. n. 16. seqq.* Apponitur etiam non raro pactum de lucrandis donis nuptialibus, quo sibi prospicere nôrunt, qui sumtus nuptialis convivii vel in totum, vel pro parte subministrant atque erogant, illud omninò ratum erit ac obligatorium. *Adjuncta.*

TH. XIII.

Quod si autem pacta deficiant, & nihilominus placeat nuptiarum quendam apparatum facere, tunc secundum morem regionis, ubi nuptiæ celebrari & epulæ instrui debent, rem æstimari & suam cuique sumtuum partem tribui convenit, arg. *l. 34. ff. de R. J. l. 6. ff. de Evict.* Dum enim desponsati in certum locum, quo solemnitates nuptiarum debeant peragi, consentiunt,

tiunt, tacitè simul in id consentire censentur, quod secundum morem in isto loco receptum, pro negotii hujus ratione, unumquemque deceat. Sin verò regionis mos nòn appareat, æquum esse videtur, ut non minus sponsa quàm sponsus contribuat, nec una pars præ alterà sumtuum erogatione gravetur. Præterquam enim quod ad utrumvis spectet hoc negotium, commodum quoque exinde proveniens communicatur & quæ a convivis nuptialibus dari solent munera, ipsis æqualiter acquiruntur Carpz. *p.3.Const.22.def.1.seq.*

TH. XIV.

Subjectum.

Suis itaque sumtibus nuptiale convivium instruunt novi conjuges, nisi fortè ex alterius liberalitate istos nanciscantur, aut ex promissione alium sibi obligatũ habeant. Nam citra promissionem ne patrem quidem, in cujus potestate sponsus sponsave existit, ad hos sumtus teneri, verius est. Quanquam enim ad ejus officium spectet ut liberos honestè collocet in matrimonium & congruam pro filia dotem atque donationem propter nuptias pro filio constituat, *l.19.ff.de rit. nupt. l. ult. vers.* neque enim *C. de dot. promiss. l.6. de Collat.* atque ad id officio judicis compelli possit *d.l.19. de R.N.* Gail. *2. obs. 95. n. 1.* Carpz. *p.2.Const.42. def.12.* Riminald. jun. *Cons.31. n.79.* neutiquam tamen hæc necessitas ad sumtuum nuptialis convivii præstationem, præter mentem & rationem LL. extendenda est. Istud enim hanc ob causam introductum est, ut liberi honestam nubendi uxoresve ducendi conditionem inveniant, & matrimonii onera inde sustineri possint *d.l.19. de R.N. l.76. in fin. ff. de jur. dot.* Carpz. *Decis. Illustr.16.n.3.* Quæ sanè ratio cessat in sumtibus nuptialis convivii, quippe qui in ipsa nuptiarum festivitate consumuntur, adeoque ad matrimonii onera ferenda haut prosunt: neque in hunc finem eos impendimus, ut nuptias conciliemus, sed ut majori elegantiâ atque splendore eas celebremus. Equidem ut parens in liberorum nuptiis vel aliqualem saltem apparatum faciat, id ex moribus ubique ferè receptis decorum atque honestum videtur, paternoque officio benè conveniens; maximè si locuples ille sit & commode id effectui dare possit, sed ad hoc obligatum eum esse

atque

atque cogendum, id Legibus civilibus definitum haut est. Neque enim omne id, quod quis pietatis atque honestatis intuitu facere debet, idem præcisè facere cogitur *v. l. 34. ff. de neg. gest. l. 32. §. 2. de condict. indeb. l. 50. fam. ercisc. l. 14. C. de accus. & inscript.* siquidem multa honestè præstantur, quæ tamen non ex obligatione, sed ex liberalitate procedunt *v. l. 12. §. 13. de admin. & peric. tut. l. ult. C. de dot. promiss.* Neque etiam necessitas quædam inducta exinde probatur, quod ab antiquissimis temporibus in hunc usque diem parentes liberis suis matrimonium ineuntibus convivia nuptialia parare sveverint: Usus enim inveteratus & mores continuati tùm demum inducunt consuetudinem, quando fiunt eo animo, ut credas, te jus habere vel obligatum esse in futurum etiam id agendi, & quando iste tacitus consensus ad præcipiendum vel obligandum ex aliqua conjectura apparet. Gloss. *in C. fin. de Consuet.* verb. *præsc.* per *l. 1. §. 6. ff. de itin. actuq; priv.* Magn. Dn. Struv. *in d. Diss. de Inv. N. D. th. 26. circa fin.* Parentes autem ex solâ in liberos suos propensione atque liberalitate hactenùs sumtus illos erogârunt, nequaquam verò quod putaverint, se jure ad hoc compelli posse; ut taceam, quod multi parentes morem istum non observent, & vel parum vel nihil planè ad liberorum nuptias conferant, aut si qua impendia faciunt, in horum compensationem nuptialia munera sibi vindicent.

Th. XV.

De patre naturali hìc quæritur, *num, si velit, possit suis sumtibus, naturales vel spurios liberos dare nuptui?* quod affirm, quanquam non par omnium sit ratio. Nam naturalibus quidem ex concubina susceptis, si legitimi liberi adsint, unam tantùm dare unciam patri permittitur; non existentibus verò liberis legitimis, nullus patri naturali modus est positus, sed, modò ascendentibus, si quos habet, legitima portio servetur, totam suam reliquam substantiam tàm inter vivos, quàm mortis causa in naturales liberos transponere, eorumve causa erogare ipsi concessum est. *Nov. 89. C. 12.* & *Auth. licet. C. de nat. lib.* ibique Brunnem. Spurios verò quod attinet, aliosque ex damnato coitu natos, quanquam de jure Civili ex bonis pa-

tris haut quicquam & ne alimenta quidem capere posse videantur, per *d. Nov. C. ult. & Dd.* communiter in *d. Avth. licet* Mynſ. *1. obſ. 35.* Gail. *1. O. 88. n. 1.* Schneid. *ad §. legari. Inſt. de Legatis num. 5.* Hunc tamen juris rigorem æquitas juris Canonici mitigavit per text. *C. 5. in f. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* ibidem Gloſſ. in verb. *ſecundum facultates.* Inde in Camera Imperiali concluſum fuit, quod pater filiam ſpuriam & ex damnato coitu natam moderatè dotare poſſit teſte Gail. *d. obſ. 88.* Schneid. *d. l. n. 6.* Matth. in Auctario *de divert. Legum & Uſus in mater. ſucceſſ. Aphor. 14.* Sed num idem dicendum ſit de ſumtibus nuptialis convivii, de eo adhuc dubitare licet, maximè ſi liberi adſint ex juſto matrimonio procreati.

Th. XVI.

De ſucceſſoribus feudalibus ſpecialiter notandum eſt, quod hi etiam citra ſuam promiſſionem nuptialis convivii ſumtus interdum ex feudis præſtare fœminis teneantur. Cùm enim hæ à ſucceſſione feudorum propter ſexûs imbecillitatem aliasque rationes regulariter excludantur per text. *1. F. 1. §. 3. & 1. F. 8. §. 2.* Schrader. *de Feud. p. 7. C. 4. rubr. de ſucceſſ. deſcendent. fœm. n. 1.* in quo concordat jus Sax. Feudale, uti patet ex *art. 2.* Lehnr. *in princ.* ibi: Pfaffen und Frauen junct. *art. 6. & 21.* Georg. Schulz. *in Tract. Feud. c. 8. n. 46.* quæ aſſertio ita extenditur, ut nec legitima filiabus ex feudo *(niſi ex eo, in cujus comparationem pater omnia ſua bona vel maximam eorum partem impendit)* debeatur, Carpz. *2. c. 46. d. 24. & 3. c. 9. d. 28. ſeqq.* Dn. Struv. *Synt. Feud. c. 14. Aphor. 19.* Idcircò moribus ex æquitate receptum & longævâ conſuetudine introductum eſt, ut deficientibus vel non ſufficientibus bonis allodialibus non ſolùm alimenta & dos congrua; verùm etiam cæteræ nuptiales expenſæ (Geſchmuck / Kleider- und Hochzeit-Gelder) defuncti Vaſalli filiabus atque neptibus, ex feudo ſuppeditari, vel ſaltem ſuppleri debeant Carpz. *2. c. 46. d. 16.* & *L. 4. Reſponſ. jur. Elect. 65.* Mev. *2. Dec. 119. ſeq.* Coler. *p. 1. Dec. 28. n. 4.* Ita reſponderunt Dnn. Scabini Lipſienſes A. 1629. (Verba Sent: Da nun die Erbſchafft euren Bericht nach alſo nicht beſchaffen / daß die Töchter daraus ihren Unterhalt / Ehe-

Schmuck

Schmuck und Hochzeit-Geld nothdürfftig und der gebühr nach haben können ꝛc. So werden sie aus den Lehngütern selbiger Forderungen wegen billig befriediget und ausgestattet. Idque verum est non solùm quando filii, fratres, vel quicunque agnati in feudo succedunt; sed etiam quando ipsi Domino feudum aperitur: Carpz. *d. l. def. 16. n. 7.* Schneid. *ad* §. *fuerat 29. Inst. de Act. n. 97.* Hart. Pistor. *2. quæst. 37. n. 1.* Quin & idem obtinet, si ad tertium possessorem, qui neque dominus est, neque à Vasallo defuncto causam habet, feudum pervenerit. Hartm. Pistor. *d. l. n. 9.* Rosenthal. *de feud. tom. 1. Conclus. 47. n. 7.* Dn. Struv. *Synt. Feud. cap. 14. Aphor. 17. n. 1.* Quantumvis enim onera ac debita feudalia tacitæ hypothecæ jus in feudo non causentur, Carpz. *2. c. 46. d. 33.* attamen jus feudatarium operantur, feudumque ita afficiunt, ut cum ipso ad quemvis possessorem transeant & actione in factum subsidiaria possessor conveniri possit. vid. *Ordin. Process. judic. Elect. Sax. tit. 45.* §. es trägt sich auch offt zu. Carpzov. *4. Resp. 68. n. 13. seqq.* & *de Oner. feud. Decad. 5. Pos. 8. n. 27. seqq.* Sicut autem nuptiarum impendia ex feudo haut præstanda veniunt, si bona allodialia sufficiunt, (nisi fortè lege alicubi aut conventione aliud sit constitutum vid. Dn. Mev. *3. Dec. 363.*) ita nec debitum ad elocationem filiarum aut sororum contractum à feudi successoribus exsolvendum est, priusquam hæreditas sit discussa. Mev. *2. Dec. 122.* Carpz. *2. c. 46. d. 13. num. 3.* Berlich. *2. Concl. 55. n. 39. seqq.* Quamvis in terris Electoratûs Saxon. introductum sit, ut debita elocationis ratione contracta feudi onus sint, hereditate etiam solvendo existente vid. *d. Const. Elect. 46. p. 2.* ibique Carpz. *def. 13. seq.* & *4. Resp. 65. n. 11. seq.* Ubi quæri potest: *an impensæ nuptiales saltem promissæ ex feudo sint depromendæ, si bona allodialia Vasallus promissor reliquerit?* quod affirm. Carpz. *d. l. def. 15.*

Th. XVII.

Circa modum hujus elocationis notandum est, quod non solùm feudi conditio atque pretium, deducto scil. ære alieno, sed etiam aliæ circumstantiæ, ut dignitas patris, liberorum numerus &c. sint respicienda Carpz. *d. l. def. 18. n. 6.* Dn.

Struv. *Synt. j. F. cap. 14. Aph. 17. n. 5.* Richt. *de privileg. cred. c. 4. sect. 1. n. 171.* Vid. tamen Mev. *p. 3. Dec. 364.* cumprimis autem consuetudo loci observanda est. Carpzov. *d. l. def. 17. & de oner. feud. Decad. 3. Posit. 3. circa fin.* Mev. *d. l.* Quod si verò de impendiorum quantitate partes convenire nequeant, arbitrio & moderationi Domini ea committitur; quippe cujus maximè interest, feuda non nimis onerari. Hartm. Pistor. *d. q. 97. n. 19.* Dn. Struv. *d. l. n. 3.* Carpz. *d. decad. 3. Posit. 5. n. 12. seqq.* Mev. *2. Dec. 121. n. 3.* Non autem feudi vires secundum tempus mortis Vasalli, sed nuptiarum respiciendæ sunt, prout hoc latiùs deducit Carpz. *Dec. Illustr. 283.* Inde sequitur, quod successores feudi, easdem, quas pater in elocatione unius filiæ fecit, expensas cæteris non præcisè teneantur præstare Carpz: *d. Const. 46. def. 19.* & *de oner. feud. d. l. n. 15. seqq.* Mev. *3. decis. 366.* add. eund. *2. Dec. 119.*

Th. XVIII.

Objectum. Quid nomine Sumtuum Convivii Nuptialis veniat, ex traditâ superiùs definitione facilè dignoscitur. Non scil. quamvis nuptialem impensam & quicquid ad elocationem liberorum & contrahendas nuptias pertinet, rubrica complectitur, sed eos duntaxat *sumtus*, quos in *nuptiale convivium* & hujus occasione, ut in personas, quorum ministerio ad epulas instruendum, itemque ad invitandum atque exhilarandum convivas utimur, impendimus. Itaque latior aliquantò est significatus *sumtuum* sive expensarum nuptialium, detractâ voce *Convivii*, utpote quibus etiam vestium nuptialium & ornamentorum pretia continentur vid. Mev. *P. 2. Decis. 120. seq.* Carpz. *2. Const. 46. def. 14: & 3. C. 11. def. 22.* Quamvis nec hæc acceptio perpetua sit, sed subinde à Dd. *expensarum nuptialium* nomine, in *convivium* factæ tantùm designentur vid. Schneid. *ad §. quædam actiones. 20. tit. de Action. fam. ercisc. n. 46. Inst. de Act.* Matth. *in tr. de success. C. 17. Aph. 23.* Carpz. *3. Const. 11. def. 21.* & si vernaculo sermone eas efferamus, Hochzeit-Beylagers-Kosten / solas expensas in nuptiale epulum factas denotent, & à cæteris impendiis in ornatum atque vestes nuptiales erogatis (Schmuckgeldern) ple-

plerumque distinguantur, quod apparet ex præjudiciis ap. Carpz. *d. def.14. & seqq.* subnexis, in quibus Hochzeit- und Schmuck-Gelder it. Ehe-Schmuck- und Hochzeit-Gelder distincte exprimuntur. Conf. eund. Carpz. *3. C. 11. def. 21. & seq.* ibique adducta præjudicia. B. D. Richter. *de privil. cred. C. 4. sect. 1. n. 167.* Cùm igitur usus vocabulorum ferè promiscuus sit, magis ad sententiam loquentium, quàm ad verba est respiciendum *l. 7. §. f. de supell. leg. l. fin. §. 1. C. de SS. Eccles.* præprimis si voluntatis conjectura ex circumstantiis aut aliunde capi possit; cùm & aliàs verba potiùs impropriare, quàm à voluntate loquentium aut rei veritate recedere debeamus. Baldus in *d. l. 7. §. f.* Conf. Mevius *P. 7. Dec. 43.*



TH. XIX.

Sumtibus convivii nuptialis indefinitè promissis, interesse putamus, utrum pro suo alteriùsve arbitrio quis eos suppeditandos promiserit, vel simpliciter atque detractâ arbitrii mentione. Priori casu, quàmvis incerta videatur quantitas promissa, tamen efficax est promissio & recurritur ad arbitrium boni viri *l. 3. C. de dot. promiss. l. fin. C. de contrahend. emt.* Secùs tamen est, si non quantitas solùm, sed ipsa obligatio in promissoris arbitrium confertur per *l. 17. & l. 46. §. f. de V. O. l. 8. de O. & A.* vid. Dn. Struv. *Exerc. 47. th. 19.* Sed quid si in tertii alicujus arbitrium expensarum nuptialium quantitas à promittente collata fuerit & ille non arbitretur? tunc evanescit stipulatio *l. 43. l. 44. de V. O. d. l. fin. C. de contr. emt.* Secùs est in sumtibus legatis, quos v. g. Titii arbitratu testator dare jussit: nam licet Titius non arbitretur, heres tamen non liberatur, sed viri boni arbitrio nihilominùs suppeditare sumtus tenetur *l. 1. §. 2. de Leg. 2. l. 43. de Leg. 3. l. ult. §. 1. C. Commun. de Leg.* Dn. Struv. *Exerc. 35. th. 98.* Posteriori casu Promissio ob incertitudinem de jure Civili haut subsistere videtur per *l. 115. pr. de V. O. l. 94. eod. l. 56. §. 3. mand.* Quamvis ipse pater sit, qui promisit, cùm nec hujus indefinita promissio ex legibus certitudinem accipiat; secùs atque dotis incerta quantitas à patre promissa ex hujus facultatibus & dignitate mariti definiri potest ac debet *l. 69. §. 4. de jur. dot.*

In dotis enim præstatione etiam citra conventionem, juris necessitas est, quæ in sumtibus convivii nuptialis deficit, *l. 19. de R. N. l. 6. de Collat. l. 7. C. d. dot. promiss.* Neque ex more regionis determinari posse horum sumtuum quantitatem existimo: quandoquidem hic ipse incertus est atque varius, ad quem normare promissionem non possumus *l. 34. d. R. J.* Et quamvis hodiè ubivis ferè locorum per decreta Politica sumtibus nuptialibus certus sit præfinitus modus, *(vid. th. 23.)* tamen cujuslibet arbitrio relictum est, quid intra istum modum impendere velit, ut proinde promissor vel minutissimæ quantitatis præstatione sese liberare posset, quæ incertitudo promissionem omnino vitiat. vid. Gothofr. ad *l. 1. C. de dot. promiss. Lit. g.* verb. *vel vilissimum quidpiam.* Brunn. *ad l. 69. ff. de jur. dot. n. 4.* Quod si tamen ex sermone ante habito vel aliunde voluntas promissoris colligi & quantitas determinari possit, promissio non erit inutilis *l. 94. de V. O.* junct. *l. 134. §. 1. eod.* Ita quando parens v. g. liberis suis innuptis indefinitè promittat aut prælegct nuptiales sumtus, eam promisisse aut legâsse quantitatem videbitur, quam in cæterorum nuptias antea erogavit, quæ præsumtio ex æquali liberorum amore, ipsi naturæ congruo, firmiter inducitur. Vid. Mev. *7. Decis. 42.* nisi urgens justaque mutatæ voluntatis causa probari possit. Id. *2. Dec. 118. n. 7.* Cæterùm ex æquitate juris Canonici omnem promissionem omneque legatum incertæ quantitatis, ex verisimili promissoris testatorisve mente sustineri, & pro modo facultatum ejus, & dignitate ac caritate vel necessitudine legatarii aut stipulatoris, determinari debere, nonnulli statuunt, idque moribus receptum esse tradunt, quos citat Vinn. *ad §. 22. Instit. de Legat. n. 3. in f.* Brunnem. *ad l. 94. de V. O.*

TH. XX.

Quær. autem hic *num. certa pecuniæ summa* zu Ausrichtung der Hochzeit oder Beylagers *promissa debeatur, si non solenne aliquod convivium instituatur?* Quod quidem ideò negandum videtur, quia si aliquid ob certam aliquam causam & ad certum aliquem finem datum est, causâ non secutâ con-

condici potest *t.t. ff. & C. de condict. caus. dat. caus. non sec.* multò minùs ergò ob causam promittens, eâ non secutâ, ad servandum promissa tenebitur, cùm jura faciliùs succurrant vigilantibus & nihil solventibus, quàm indebitum repetentibus, *arg. l. 3. ff. ult.* ibique Dd. *quod quisque juris &c.* & cui datur actio ad solutum repetendum ei multò magis exceptio dabitur, quò minùs solvere cogatur. *l. 1. de superficieb.* Fulgos. *Cons. 186. Col. pen.* vers. *postremò* Alex. *Cons. 47. in f. Lib. 3.* Sed affirmativam veriorem putamus; siquidem non cessat causa, si vel qualiscunque nuptiarum apparatus fiat, quamvis non totam summam legatam iste absorbeat. Accedit, quod quælibet dispositio, quantumvis adversa & stricti juris, ita interpretanda sit, ut sustineatur & non sit vana, inutilis vel elusoria, *l. si stillicidii 8. quemadm. serv. amitt.* Menoch. *Cons. 275. n. 29.* idque imprimis in ultimis voluntatibus obtinet. Decius *Cons. 601. n. 31.* Steph. Gratianus *discept. for. C. 104. n. 61.* Et ita Ampliss. Facultas Jurid. Jenens. Mens. August. 1672. respondit: Obwohl dasjenige so ob certam causam vel finem gegeben / non secutâ causa condiciret werden kan. Dieweil aber diese causa in gegenwärtigen Fall nicht cessiret / in betracht die Ausrichtung des Beylagers nicht in consumtione omnimodâ der 1000. Gülden bestehet / dahero auch qualiscunque apparatus unter dem Wort Ausrichtung begriffen. So seynd die Herren Lehnsfolgere die obgedachten 1000. Gülden ihres Einwendens ungeachtet zuerlegen verbunden V. R. W.

Th. XXI.

Porrò quæritur: *si parens filiæ suæ Titio desponsatæ, ad nuptias cum hoc suo sponso celebrandas, certam pecuniæ summam prælegaverit; Titio autem ante nuptiarum festivitatem defuncto, filia nubat Cajo; num ad has nuptias legatum trahi debeat?* Videtur quod non, cùm Legata strictæ sint interpretationis, Hippol. Riminald. *Cons. 216. n. 9. seq. L. 2.* Menoch. *Cons. 56. n. 20.* quare Testator præsumitur legâsse quod minus est *l. 43. ff. 1. in f. de Leg. 2.* Finkelth. *Obs. 20. n. 16. seq.* ubi plures text. atque Dd. alle-

allegat. Cum ergò Parens nuptiarum cum *Titio* contrahendarum solùm mentionem fecerit, ad hujus personam videtur respexisse, indeque restricta illa atque limitata dispositio non potest non restrictum quoque & limitatum habere effectum *l. 31, de oper. libert. l. 1. §. 5. de itin. act. priv. l. fin. C. ne ux. pro marit.* Et sicut promissiones ac legata in quibus nuptiarum fit mentio, habent tacitam conditionem, *si nuptiæ sequantur, L. 24. C. de nupt.* ita determinata ad hanc personam habent tacitam conditionem *si cum hac personâ sequantur*, quod multò magis in hisce *sumtibus nuptalit.* obtinebit. Verum contraria placet sententia. Quippe Pater non videtur restrinxisse ad Titium hanc suam dispositionem; sed potiùs nominâsse eum, ut præsentem sponsum *filiæ* exempli loco, ceu de cujus obitu ante nuptias ne potuit quidem cogitare: quod si cum alio, vivente patre contraxisset *filia*, eum sponsum nominâsset, aut si non contraxisset, generaliter legâsset, cùm ubivis eadẽ subsit ratio; Et quod magis ad *filiam* respexerit pater, quàm ad *Titium*, inde apparet, quod filiæ prælegaverit, non autem legaverit sponso nominato. Atq; ut plenius interpretemur hanc parentis voluntatẽ, rejectâ restrictione odiosâ, suadet favor sanguinis arg. *l. 50. §. ult. de Leg. 1. & l. pen. pr. de alim. & cib. leg.* ita benè Cravett. *Conf. 297. incip.* verbo *Legati n. 1.* Natt. *Conf. 626. n. 20. L. 4.* Sicut quoque donationes, aliàs minimè extendendæ, latiorem interpretationem pati ob personæ conjunctæ conditionem eleganter tradit Gozzadin. *Conf. 60. n. 16. vers. sextò coadjuvatur.* Denique non deficit hìc conditio, quam tacitè hoc Legatum continere diximus, quippe hanc filia implet, cum secundo sponso nuptias celebrans. Limit. autem notanter hanc nostram Decisionem in duobus præprimis casibus, ut (1) si indigna sit persona alter sponsus: cùm eum noluisse præsumatur pater habere generum; aut (2) Si alia patris legantis mens ex circumstantiis appareat, ubi enim veritas apparet, nullus dubitationi locus relinquitur: quò pertinet commune illud dictum, Præsumtio cedit veritati, & veritas prævalet præsumtioni.

l. nu-

l. nuptura 57. ff. de J. Dot. l. f. pr. ff. quod met. cauf. l. 25. de probat.

Th. XXII.

Quemadmodum autem in omnibus rebus, ita vel maximè in erogatione Sumtuum nuptialis convivii, mediocritas ceu optima rerum actionumque omnium norma, adhibenda est. Nam utut splendor aliquis solito major nuptiarum festivitati concedatur, tamen vitanda est summoperè effusa & immoderata luxuria. Novi quippe conjuges, præsertim ab initio, pecuniis maximè, ceu nervis rei familiaris, opus habent ad supellectilem, aliaque quæ ad quotidianum corporis victum cultumque, & ad rectè instituendam œconomiam pertinent, sibi comparandum; at splendidis nimis atque sumtuosis nuptiis facultates eorum ita sæpiùs atteruntur, ut per totum vitæ tempus vix ac ne vix quidem restaurari queant, & paucorum ille dierum splendor atque pompa mox in egestatem summamque ignominiam non raro desinat. Quin & si vel maximè hoc periculum ob amplissimas fortè novorum conjugum facultates longiùs abesse videatur, aut non ex ipsorum, sed parentum sumtu, vel aliunde luxus iste sustineatur, minimè tamen probandus aut tolerandus est, cùm & ditissimos sæpè ad summam paupertatem divitiarum abusus adegerit, (vid. Bernegg. *ad Tacitum q. 97.*) & reipubl. expediat, ne quis re suâ malè utatur, quò cives ista habeat locupletes *§. 2. Inst. de his qui sui vel al. jur.* ibique Schneid. Brunnem. *ad l. 25. ff. de her. pet. n. 13.* Illud equidem diffiteri vix possumus, quod eos, qui honoribus sunt conspicui, opibusque inclarescunt, lautior deceat pretiosiorque nuptiarum apparatus, quàm tenuioris fortunæ conditionisque convenit hominibus; sed cavendum tamen ubique est, ne nimis impensæ excurrant aut in immensum diffluant. Quamvis nec laudanda sit sordities, matrimonii excellentiæ dignitatique minùs conveniens. Ut itaque justus servetur modus, ex personarum dignitate facultatumque modulo dimetiendum statuendumque erit, quid pro loci consuetudine impendi debeat *Forma.*

D atque

atque decorum sit, ita, ut neque avarus sordidusque quis audiat, neque luxuriosus aut prodigus videatur.

TH. XXIII.

Cumque periculosum admodùm videbatur, magni hoc momenti negotium, quippe ex quo non solùm singulæ familiæ, sed ipsa quoque respubl. detrimentum capere potest, privatorum arbitrio unicè committere, idcircò sicut olim in benè moratis constitutisque rebuspubl. nuptiarum celebritati atq; sumtibus terminus subinde præfinitus fuit; vid. Plutarch. *l. 4. Sympos. Prob. 3.* A. Gellius *2. Noct. Attic. C. 24.* Plato *lib. 5. de LL.* Ita hodienùm apud Christianas gentes effrenatus nuptiarum luxus severioribus Legum sanctionibus coërcetur, & invitandorum numero æquè ac ferculorum copiæ nec non alimentorum pretiis certus modus subinde præscribitur. Cujusmodi salutaris Constitutio extat in *Ord. Polit. Elect. Sax. de Ao. 1661. tit. 14. per tot.* similemque cæteri quoque Saxoniæ Principes in suis territoriis condiderunt. Sicut etiam in Galliæ, Hispaniæ & Lusitaniæ regnis, nec non in plerisque Italiæ ac Germaniæ Civitatibus leges ejusmodi sumtuarias sartas tectasq; observari adserit Casp. Klock. *de Ærario l. 2. C. 97.* Tanta autem harum Legum quibusdam in locis est severitas, ut isti non solùm, qui in erogatione horum sumtuum præscriptum modum excedunt graviter plectantur, verùm etiam ad convivas aliosque, eos præprimis, quorum operâ ad instruendum epulas utimur, pœna porrigatur. Sic Carolum IX. & Henricum III. Galliarum Reges præcepisse refert Joh. à Chockier *Thes. Pol. Aphor. lib. V. c. 19. Exempl. 4.* ne in nuptiis plus quàm tria fercula apponantur, constitutâ in transgressores legis pœnâ 200. librarum Parisiensium, atque etiam in eos qui interfuerint, nec rem censori manifestaverint 40. librarum consimilium: quâ etiam plexos fuisse Censores, s. judices, qui interfuerint, nec è vestigio recesserint; quinimò in ipsos coquos animadversum. Quas leges superioribus annis ab Henrico IV. Galliarum Rege renovatas esse dicit Klock. *de Ærar. d. l. n. 6.* Similiter in prælaudata *Elect. Sax. Ordin.* sancitum est, ut præco nuptialis (Hochzeit-Bitter) ab officiolo suo ad tempus

pus removeatur, si minorem invitatorum numerum Magistratui falsò renunciaverit: itemque convivarum quilibet tribus Imperialibus plectatur, si elapso triduo, quod nuptiis insumere permissum est, convivari non desistant.

Th. XXIV.

Qu. autem hîc: an novi quoque conjuges pœna aliquâ afficiendi sint, si parentes eorum sumtus nuptiales erogando, præscriptum modum non observaverint? Quod negandum esse existimamus, quia ex alieno delicto atq; culpâ alius luere non debet *l. 22. C. de pœn. t. t. C. ne filius pro patre &c.* Non obstat, quod videantur patientiam suam delicto accommodâsse tacitèque illud approbâsse; quandoquidem nuda actûs scientia consensum haut importat, si sciens facultatem prohibendi non habeat *l. 50. de R. J. l. 2. & 3. de nox. act. l. 9. §. 1. de L. Cornel. de fals.* aut ex obsequii necessitate tacere teneatur: *l. 4. de R. J.* Conf. Grot. *de j. B. & P. Lib. 2. C. 21.* secùs foret, si ex eorum mandato atque voluntate limites fuerint superati, cùm enim tunc complices sint delicti, meritò quoque pœnæ fiunt participes *l. 7. §. ult. de jurisdict. l. 11. §. 3. de injur.*

Th. XXV.

Præterquam verò quod transgressores statutam Legibus pœnam incurrant, ipsos quoque nuptiales sumtus, quos licet animo credendi, supra tamen modum erogârunt, deperdunt arg. *l. 5. C. de LL.* ad id tamen, quod impendi licitè potuit, recuperandum, datur actio *l. 25. de neg. gest.* sed; *Num superflui refusi detur condictio,* quæritur? Neg. si ex errore juris solutio sit facta arg: *l. 26. §. 12. de condict. indeb.* secùs si ex errore facti *l. 10. C. de jur. & fact. ignor.*

Th. XXVI.

Non tamen omne subditis hâc in re arbitrium ademtum, sed limitibus saltem illud circumscriptum est, intra quos sese continere tenentur: minorem quippe sumtum, quàm qui in genere præfinitus est, facere cuilibet licet: quò spectant verba *d. Ord. Elect. Sax. §. 1.* So soll hinführo keiner von Adel auf der Wirthschafft/ so er vor sich / seine Kinder oder Freunde ausrichtet / auffs höchste mehr nicht / als eine

Doppeltafel &c. it. §.2. So viel aber das Confect anlanget/ soll auff eine einfache Taffel zum höchsten/ über 5. Thaler nicht/ auffgetragen werden. Cum enim LLator exactè singulorum vires nosse & cujuslibet patrimonio legem sumtuariam aptare nequeat, Reipubl. autem exitiosum sit, si cives dignitate quidem pares, ast opibus planè impares, eodem pede commetiendi sint; idcircò quædam subditorum arbitrio ut relinquantur, rei hujus non aliter fert conditio, quamvis & hoc arbitrium rectiùs Magistratuum inferiorum temperamento subjiciatur, qui ex dignitate personarum & facultatum modulo, nec non familiarum conditione invitandorum numerum definiant, quod & placuit Sereniss. Elect. Sax. *in d. Ord.* §. 3. verb. nach gelegenheit seines Standes / Amts und Vermögens und nachdeme die Freundschafft auf des Bräutigams und der Braut seiten groß und weitläufftig/ ihme zuerlauben/ welches denn in allewege auff Erkäntnüß und Ermessung der Obrigkeit stehen soll &c.

TH. XXVII.

Finis. Impenduntur autem NUPTIALIS CONVIVII SUMTUS in eorum præcipuè gratiam, qui propinquitate aut singulari amicitiâ sponsum sponsamque contingunt, atque ab his invitati nuptiarum solemnibus interesse dignantur: Ut enim hos neonymphi comiter accipiant, id honestatis quandam præ se fert speciem, prout suprà *th. 8. circa fin.* ostendimus. Idque eò magis verum est, quò certiùs esse apparet, Convivia nuptialia eum in finem ab antiquissimis temporibus instituta fuisse, ut inter binas illas familias, quæ per nuptias copulantur, major quædam notitia atque amicitia arctior contrahatur. Conf. Stuck. *l. 1. Antiquit. Conviv. c. 24.* Cypr. *de jur. Connub. c. 4.* §. 4. *n. 3.* Quam etiam causam esse conjicio, quod quibusdam in locis, peractis nuptiis, sponsi sponsæque consangvinei atque affines proximi novos conjuges, seque mutuò conviviis, (vulgò Brautmähler dictis) soleant excipere; quæ, modò luxus absit & non nimis frequententur, non omninò improbanda esse reputo. Illi autem malè sumtus nuptiales collocant, qui vanâ quâdam & inani gloriâ seducti, saltem ad ostenten-

ſtentandam ſuam opulentiam, lautiora convivia inſtruunt, quos non rarò tenuis ſortis homines imitantur & ambitioſâ ſuâ ſtultaque æmulatione rès ſuas turpiter conſumunt, & in eam ſe ſuosque paupertatem conjiciunt, ut ne ſibi quidem ſufficere, tantùm abeſt, ut publica promovere commoda vel minimâ in parte queant. Ita quàm peſſimè ſumtus profunduntur & genuina impendendi ratio finisque honeſtus negliguntur. Sed quo minùs hoc fiat, quovis modo cavendum eſt.

TH. XXVIII.

Effectus.

Occaſione nuptialis convivii & ſumtuum in hoc factorum ſolent ab invitatis amicis atque conſangvineis munera quædam nuptialia novis conjugibus offerri, quæ his æqualiter acquiruntur, ita, ut dimidia eorum pars ad ſponſum altera verò ad ſponſam pertineat, quàmvis fortè pro more regionis ſoli ſponſæ vel etiam ſponſo ſoli eadem fuerint tradita. Nec quicquàm intereſt, utrum ab unius conſangvineis atque amicis plus minusve vel nihil omnino donatum fuerit. Vid. Carpz. *3. Conſt. 12. d. 1. ſeq.* & *Diſſert. integram de Dono Nuptiali ſub præſid.* Nobiliſſ. Dn. Petri Mulleri *habitam, C. 2. th. 12. ſeqq.* ubi hæc omnia latiùs pertractantur. *Sed quid ſi ſolus, v. g. ſponſus, expenſas nuptiales ex compacto vel loci conſuetudine, aut quod ſponſa ob inopiam nihil conferre potuit, erogaverit?* Nihilominùs ad ſponſam nuptialia dona pro dimidiâ parte (niſi aliter conventum fuit) ſpectare cenſeo. Quantumvis enim nuptialibus epulis convivæ ad liberalitatem exercendam inſtigentur, hanc tamen magis ex affectu, quo ſponſum ſponſamve hactenus proſecuti fuerunt, quàm ex impendiis factis, ſolent metiri. Cuivis quippe liberum eſt, utrum quid dare novis conjugibus & num magni momenti rem, vel ſaltem viliſſimi cujusdam valoris donum, offerre velit, *l. 1. ſſ. 5. de tut. ac rat. diſtrah. l. 13. ſſ. ult. de adm. tut.* Accedit, quod matrimonium ſpecies quædam ſit ſocietatis; *ſſ. 1. Inſt. de patr. pot. l. 1. ſſ. 3. ff. de juſt. & jur. l. 1. ff. de rit. nupt.* quicquid autem ſocius ex cauſa ſocietatis acquirit, illud cum altero participare tenetur; *ſſ. 1. Inſt. de ſocier. l. 29. §. 2. ff. eod.* Ita concludit Carpz. *d. l. def. 1. inf.* Ex dictis quodammodo conſtat, quod nec parentes pro ſumtibus, quos in liberorum

 nuptias

nuptias erogârunt, citra conventionem nuptialia lucra sibi vendicare possint; cùm solis neonymphis convivæ donatum voluerint, ut eò rectiùs hi rem familiarem instruere valeant. Quanquam quibusdam locis parentes contrariæ consuetudini innitantur, quæ tamen ab ipsis contra negantes probanda est arg. *l.1.C.de probat.* Carpz. *2.c.3.d.22.*

Th. XXIX.

Quær. autem hîc, num dona nuptialia, pro dimidia ista parte, quam ad sponsam pertinere diximus, ad paraphernalia, an verò ad dotalia ejus bona sint referenda? si quidem hoc expresse fuerit actum, ut in dotem ista computentur, omni res careret dubio, cùm conventio det legem contractui *l.1. ff.6. depos. l.23. de R.J.* Nec minùs pro dotalibus habentur, si sub nomine Heyraths-Gut inferantur, ex consuetudine nempe Germaniæ Carpz. *1.Const.28. def 87.n.8.* Quod si verò simpliciter & absque qualitatis expressione apud maritum ea relinquantur, tùm potiùs paraphernalia quàm dotalia de jure Civili censeri oportere verius videtur, Carpz. *2. Const.16. def. 11.* cùm dotis constitutio in facto consistat, *l. 1. C. d. dot caut non num.* Brunn. *ad l. 72. ff. de jur. dot.* quod nunquam præsumitur, sed probandum est: *l. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. l.9. C. de Collat. l.1. C. de probat.* Nihilominùs tamen usu fori ex mente Dd. doti annumerantur, si ipso nuptiarum tempore illata fuerint, non quidem ex qualitate eorum in se spectatâ, sed potiùs ratione effectûs, imprimis prælationis Dn. Richt. *de Privileg. Cred. C. 3. sect. 1. num. 80. seqq.* Carpzov. *1. Const. 82. d. 88. & 3. C. 22. d. 6.* Add. Dn. Præses *in Dissert. de jure Paraphernorum C. 4. th. 11.* ubi secundùm hanc sententiam ab Inclyta Facult. Jurid. hujus Acad. pronunciatum fuisse testatur. Cæterùm ad neutram horum bonorum speciem dona nuptialia spectant, si ab uxore marito ad usum vel administrationem ea concredita fuisse non constet. vid. Mev. *2. Dec. 229.*

Th. XXX.

Alia est ratio expensarum nuptialium, quæ dotis qualitatem haut ingrediuntur, nec pro illatis reputantur, sive ab ipsa sponsa, sive ab alio ejus nomine erogatæ fuerint: quippequæ

pe quæ nunquam in usus mariti convertuntur, quemadmodum nuptialia dona, sed in ipsis nuptiis consumuntur. Inde ex bonis mariti à viduâ ejusve heredibus minimè possunt repeti, Carpz. *3. Const. 20. def. 36.* Brunnem. *Cent. 5. Dec. 45. n. 4.* nisi, quod multis in locis fieri solet, in dotem fuerint imputatæ, vel ùt bona illata â marito exprefsè acceptatæ, vel animo credendi (zum Vorschuß) factæ à vidua ejusve herede probentur: Quibus casibus ex conventione sua atque placito maritus tenetur *l. 1. §. 6. ff. depos.* Brunnem. *d. Decis. n. 5.* Carpzov. *d. l. def. 37.* Finckelth. *obs. 66. n. 16. seqq.*

TH. XXXI.

Sed *num sumtus in liberorum nuptias facti post mortem patris in communem hereditatem conferri oporteat* quæritur? Pro affirm. sententia facit I. quod expensæ nuptiales videantur esse accessorium sive augmentum dotis, de quo idem judicandum, quod de dote ipsâ. *l. 26. §. 2. ff. de pact. dot. l. 8. C. de jur. dot.* II. quod non minùs quàm ipsa dos, bona patris minuant. III. quod ex unius liberorum elocatione cæteri ex præsumtâ patris voluntate, quippe qui æqualiter omnes amâsse & elocare voluisse censetur, fundatam habeant intentionem. vid. Mev. *p. 7. Decis. 42. & p. 2. Dec. 118.* Sed his non obstantibus, Negativam defendimus: (1) quia de his sumtibus nil quicquam tanquam ex patris substantiâ ad liberos pervenit, ideò meritò à collationis onere regular. eximuntur *arg. l. 50. fam. ercisc.* (2) quia post mortem patris, sumtus in epulas nuptiales erogati, non ampliùs extant, neque etiam dolo aut culpâ liberorum consumti sunt, quales vir bonus conferendos esse non est arbitraturus *l. 2. §. 2. de Collat. bon.* Cothm. *vol. 1. Cons. 3. n. 46.* (3) quia hi sumtus ad honorem & existimationem patris potiùs pertinere videntur, indeq; faciliùs animus donandi in eo præsumitur Coler. *1. Dec. 62. n. 29.* Klock. *Cons. 104. n. 178.* Et hæc sententia communis est atque in Praxi servatur. Finckelth. *Obs. 66.* Brunner. *de Collat. c. 4. num. 824.* Carpzov. *3. c. 11. d. 21.* Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 37. th. 43.* Brunneman. *ad l. 2. ff. de Collat.* & *p. 5. Decis. 21.* Meier. *in Coll. Arg. tit. de Collat. thes. 8.* Ad rationes in contrarium adductas Resp. ad I. Neg. quòd impen-

sæ

sæ nuptiales sint dotis augmentum, nisi expressè in dotem imputentur, quod vel ex ipsis *alleg. texx.* apparet, verb. *additamenti causa in dotem datum.* Ad II. Resp. quod non sufficiat minui bona paterna, ut propterea quid conferendum sit, sed requiritur maximè, ut bona conferenda adhuc extent aut dolo culpavè sint consumta *d. l. 2. §. 2. ff. de Coll. bon.* Dn. Carpz. *d. def. 21.* Ad. 3. Resp. inæqualitatem hîc vix intelligi, cùm ut jam dictum est, haut quicquam ex nuptialis convivii sumtibus, tanquam ex patris substantia ad liberos pervenit. Et quàmvis quædam inæqualitas subsit, illa tamen sustinetur ex ipso facto atque conjecturata voluntate parentis, dum nempe sine necessitate expensas nuptiales erogavit, neque credendi animum ullo modo declaravit, unde donâsse omninò præsumitur *arg. l. 34. ff. de neg. gest.* Secùs est in dote; de quâ Dn. Mev. *d. l.* differit. Quam cùm ex necessitate juris pater constituat, donâsse non præsumitur, *l. 82. de R. J. l. 29. ff. de donat.*

Th. XXXII.

Alia autem est ratio impendiorum, quæ non in convivium nuptiale, sed in vestimenta ac ornamenta nuptiarum tempore à parente facta sunt: cum enim hæc ex ejus bonis reverà ad liberos perveniant, nec statim consumantur, sed post mortem patris adhuc superesse possint, meritò collationi subjacent; quo spectant vestes pretiosiores (non verò quotidianæ & vilioris pretii, quippe quæ alimentorum nomine comprehenduntur *l. 6. de alim. & cib. leg.* Coler. *P. 1. Decis. 62. n. 31.*) annuli, armillæ, torques & cætera ad ornamenta corporis pertinentia, it. Currus & cistæ nuptiales Brautwagen und Brautkisten. Cothm. *Vol. 1. resp. 3. n. 41. & seqq.* Carpz. *3. Const. 11. def. 11.* Colleg. Arg. *d. l. th. 7. n. 9.* ibique Tabor. Gail. *2. Obs. 91. n. 5. 6.* Diss. Wesenb. *in Paratitl. ad ff. de dot. coll. n. 5.* Matth. *de success. C. 17. th. 23.* vid. ibidem Dn. Struvium *in not.* ubi nostram sententiam usu receptam esse testatur, & hanc in rem egregium adducit Amplissimæ Facult. Jurid. hujus Academ. responsum. Sed *quid si ignoretur, quid quilibet liberorum nuptiarum tempore à parentibus acceperit?* Tunc Collatio

latio ut sub juramento fiat, per consuetudinem invaluisse tradunt Cothm. *resp. 49. n. 53. seq. Vol. 1.* Mev. 4. *Dec. 232.* ubi excipit nepotes, qui à parentibus accepta probabiliter ignorant. Cæterùm nec conferuntur hujusmodi res, si absque dolo levique culpa interierint. *l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. ff. de Collat.*

Th. XXXIII.

Quanquam verò sumtus in nuptiales epulas facti regulariter non conferantur, limitatur tamen hoc assertum (1) nisi, quod sæpissimè solet fieri, in dotem à socero, consentiente genero, imputentur, tunc enim cum facti sint dos ejusvè pars, procul dubio conferendi erunt Carpz. *3. C. 11. d. 22.* Dn. Struv. *d. Exerc. 37. th. 43.* Finckelth. *d. Obs. 66. n. 16. seqq.* vid supra th. 11. (2) nisi pater in testamento suo aliud de hisce expensis disposuerit, ut nim. ex communi patrimonio cæteris liberis tantundem ad nuptias faciendas præstari debeat *arg. l. 3. §. 17. de mun. & honor.* Brunner. *de Collat. d. C. 4. n. 627.* vel aliàs conferri eas in communem hereditatem jusserit. Carpz. *d. l. def. 23.* Cessat enim tunc præsumtio donationis, cùm de aliâ patris voluntate constet. *l. 25. ff. de probat.* Quod & verum est, si saltem ex conjecturis appareat, patrem credendi animo impensas præbuisse, veluti si diligenter ac specialiter eas consignaverit: tùm enim pater æqualitatem inter liberos servare voluisse præsumitur *l. 1. pr. ff. de Collat. l. 17. C. eod.* ibiq; Brunn. Coler. *p. 1. Dec. 62. n. 32.* Carpz. *d. l.* ne scil. occasio altercationis cujusdam inter liberos oriatur *l. 6. §. 2. in f. C. d. bon. quæ lib. Nov. 22. C. ult.* Non obstat, quod pater sumtus studiorum ad librum rationum referens, credendi animum habuisse non præsumatur, sed vel expressa declaratione vel aliâ probatione res indigeat, cùm annotationis paternæ alia possit haberi conjectura Finckelth. *Obs. 11.* Brunner. *de Collat. bon. C. 4. n. 86. & seqq.* Hahn. ad Wesenb. *ff. fam. ercisc. n. 5.* Dn. Struv. *d. Exerc. 37. th. 30.* quorum sententia etiam confirmata est à Sereniss. Saxon. Electore *in Nov. Decis. 50.* manifesta enim in his deprehenditur diversitas; Quippe quod consignatio sumtuum studiorum non collationis, sed alterius rei gratiâ facta præ-

sumitur, id efficit summus & singularis studiorum favor; sumtuum verò nuptialium annotatio eò facilius æqualitatem inter liberos introducit, quia deficit eorum favor & juris privilegium Finckelth. *d. Obs. 11. n. 17. seq.* & *Obs. 66. n. 12.* Nisi forsan evidenter appareat, hanc annotationem alio animo factam esse à Patre, ut si in communibus expensis domesticis cum aliis annotavit, wenn er in seinem gemeinen Haußbuche unter andern Ausgaben der Haußhalth solche ufgetragen: nihil enim novi, ut una præsumtio aliam tollat *l. 6. ff. de in integr. restit. l. 30. ff. de V. & P. S.* Masc. *de Prob. concl. 405. n. 5.* Est enim hæc ultima ceu specialis potentior ista generali. Natt. *Cons. 164. n. 6. Vol. 1.* Vultej. *1. Cons. Marp. 22. n. 70.*

Th. XXXIV.

Quæ hactenùs de Collatione expensarum nuptialium diximus, egregiè illustrat atque roborat Responsum Ampliss. Scabinatûs Jenens. Mens. Jan. anni curr. ad requisitionem Joh. Casp. W. zu H. emissum, cujus verba sentent: Ist denen bey des Vaters Lebzeit ausgestatteten Kindern Veiten und Marien/ieden absonderlich ein Hochzeitmahl verleget/auch die Ehrenkleider ihren Stande nach geschaffet worden/und fordern nun die unausgestattete/ daß ihnen dergleichen geschehe / oder deshalben bey der Theilung satisfaction wiederfahre; Ob nun wol / so viel die Hochzeit - Kleider anbetrift / billig und denen Rechten gemäß ist/daß/daferne dieselbige köstlicher denn sonst in gemein beschaffen gewesen/ sie in collationem bonorum kommen / und denen andern deshalben eine Gleichgeltung wiederfahre: Dennoch aber und so viel die verlegte Hochzeit-Kosten betrift/ weil dieselbe ohne special- und ausdrückliche disposition des Vaters in keine collationem bonorum zu bringen/es sey denn/daß sothane Kosten in dotem zu imputiren verglichen / oder an dessen statt nur die Hochzeit ausgerichtet wäre / so mag auch deshalben und ausser ietztberührten ausgenommenen Fällen/ besonders Vergeltung und satisfaction dieses wegen mit Fug nicht

nicht gesuchet werden/in Betracht/daß der Vater solche blos animo donandi vorgeschossen und die Hochzeit ausgerichtet zuhaben/die Rechte vermuthen V. R. W.

TH. XXXV.

Eadem Collationis ratio in materna atque avita, quàm quæ in paternâ successione obtinere diximus, conspicitur *arg. L.17. C. de Collat.* Hartm. Pistor. *p.1.q.19.n.3.* Berlich. *Decis. 8. n. 4.* ubi quoque tradit, nec illos sumtus conferri, quos mater in communione bonorum cum liberis permanens in unius alteriusve nuptias expendit: quod tamen tunc verum est, ubi omnes liberi in illâ communione vivant, consentire enim cæteri liberi præsumuntur, si sciant, ex re communi, ex qua & illi omnia necessaria accipiunt, expensas fieri, neque contradicant *arg. l.38. de don. inter vir. & ux.* ibique Brunneman. inde quamvis ex superius dictis satis constet, quod tantundem pro expensis nuptialibus, quantum pater in unius vel alterius nuptias erogavit, post mortem ejus cæteri ex bonis communibus, petere nequeant, sed cogantur sumtibus propriis nuptias celebrare Coler. *Dec.62.n.30.* Brunner. *de Collat. d. c. 4. num. 827.* Carpz. *3.c. 11. d.21. n. 9.* Tamen si uni fratrum sororumve ex bonis istis communibus nuptiales impensæ suppeditentur, aut scientibus, neque tamen contradicentibus cæteris ab uno istæ fiant, in familiæ erciscundæ judicium eas haut venire existimamus per *d. l.38. de don. inter vir. & ux.* Conf. Schneid. *d. L. n. 58.* modò omnes sint ejus ætatis atque conditionis, ut perfectè consentire, resque suas donare possint Conf. Dn. Struv. *Exerc.6.th.39.seqq.* Planè si fratres animo contrahendæ societatis omnium bonorum in communi hereditate persistant, quod in unius nuptias insumitur, omnibus non immeritò imputatur *arg. l.39. §. 3. fam. ercisc. l.73. §. 1. pro soc.* qui animus contrahendæ societatis universalis interdum ex ipso facto colligitur, veluti si fratres majorennes post mortem patris bona indivisa, non paterna tantùm, sed etiam cætera, in quorum communionem inciderunt, diu possideant, & indistinctè omnes reditus communicent, nec à se invicem rationes exigant; quæ omnia conjunctim requiruntur. Vid. Vinn. *in*

Comment. ad pr. Inst. de societ. n. 2. Franzk. *in Comm. ad ff. tit. pro soc. num. 31.* Brunneman. *ad l. 4. ff. pro soc.* Carpzov. *3. Const. 15. def. 45. 47.*

Th. XXXVI.

Qui credendi animo nuptiales expensas pro sponso sponsave erogârunt, repetere eas possunt actione mandati, sive expressis verbis mandatum intervenerit, sive ex tacito consensu istud induci possit: quippe qui patitur, suo nomine quid fieri, mandare intelligitur *l. 6. §. 2. l. 18. mand. l. 60. de R. J.* sed quid si, quâ mente sumtus facti sint, non appareat? Si quidem persona sit extranea, quæ sponsum sponsamve cognatione aut affinitate non attingit, in dubio non donandi sed repetendi animo impendisse censebitur, cum suum jactare haut præsumatur *l. 25. de probat. l. fin. C. de novat.* nisi fortè ex amicitia planè singulari atque paterna ductus expensas modicas fecerit *arg. l. 44. de Neg. gest.* ibique Brunneman. Ast si parens sit, magis est, ut donâsse, quàm repetere eas voluisse in dubio censeatur *arg. l. 11. C. de neg. gest.* verb.: *recipiendi animo te fecisse ostenderis*, add. Bachov. ad Treutl. *Volum. 1. Disp. 10. th. 3. lit. B.* maximè cùm sumtus nuptialis convivii non tàm personam aut negotium filii filiæve, quàm honorem atque existimationem parentis concernant, Coler. *p. 1. Dec. 62. n. 29.* Hanc tamen donationis præsumtionem cessare existimamus, si parens tempore nuptiarũ bona filii filiæve administraverit: tunc enim non proprio, sed administratorio nomine impensas fecisse censendus est. *arg. l. 34. ff. de neg. gest. l. 43. §. 1. de adm. tut.* Mascard. *de probat. Concl. 1399. n. 4.* Non obst. *l. fin. C. de dot. promiss. & l. 5. ff. de jur. dot.* Ubi pater ex suis, non maternis atque administratis bonis, dotem pro filiâ dedisse intelligitur. Siquidem favore dotium multa esse recepta contra juris rationem jure singulari, perspicuum est ex *l. 9. §. 1. ff. de j. dot. & §. 29. Inst. de Act.* vid. Mynf. *Cent. 3. Obs. 3.* quæ ad sumtus nuptiales trahi non debent, cum horum favor & juris privilegium deficiat Finckelth. *Obs. 66.* Accedit, quod paternum sit officium dotare filiam *d. l. fin. & l. 19. ff. de rit. nupt.* ex quo præsumtio inducitur, quod de propriis bonis do-

dotem dederit, cùm, qui ex duplici causa obligatus aliquid simpliciter præstat, in graviorem durioremque causam præstitisse censeatur *l. 4. seq. ff. de solut.* durius autem obligatur ex suo officio pater, quia ex lege. Mynf. *Cent. 5. Obs. 32. n. 5. seqq.* Carpz. *L 6. Resp. jur. Elect. 71. n. 5. & 12.* Ast nuptiales expensæ non ex obligatione, sed liberalitate paterna, procedunt; hanc autem vincit bonorum administratio *d. l. 34. ff. de neg. gest.* Carpz. *d. l. n. 7. seqq.* In cæteris personis conjunctis, animus donandi non præsumitur, cùm pietas ea in his non militet, quæ in parentibus, Brunneman. *ad l. 3. C. de neg. gest. num. 2.* nisi alia accedant adminicula, unde liberalitatis conjectura capi possit; quo spectant affectio domestica *l. 1. C. de neg. gest.* ibique Dd. egestas ejus, cui sumtus subministrantur, Sichard. *in l. 1. num 5. C. de neg. gest.* præstita expendenti servitia *id. d. l. numer. 10.* vers. *supremò.* omissa protestatio *l. 34. de neg. gest. l. 14. §. 7. de relig. & sumt. fun.* non facta impensarum exactio; quæ aliaque similia efficiunt, ut aut erogationis non detur repetitio, aut alius animus à petente v. g. fratre, patruo &c. probandus sit vid. Mev. *8. Dec. 194.* & *4. Dec. 317.* Brunneman. *ad d. l. 34. de neg. gest.* Sed num ad hujusmodi argumenta diluendum sola impensarum descriptio in Libro rationum facta sufficiat, quæritur? dist. Dn. Mev. *8. Dec. 195.* utrum impendia solùm designata sint in Libro, an additum, quod ea sibi debeat, cujus causa fiunt: posteriorem descriptionis modum satis explicare animum repetendi & alia argumenta diluere autumat; priorem verò minimè posse efficere, ut quis repetere queat, quod aliàs creditur fecisse ùt donator; quippe quod alia possit haberi annotationis conjectura. Conf. Finckelth. *obs. 11. n. 10.*

TH. XXXVII.

Cæterùm cùm promissio aut legatum impensarum nuptialium tacitè annexam habeat conditionem, si nuptiæ celebrentur *arg. l. 10. §. 4. l. 21. l. 48. pr. de jur. dot. l. 71. §. 3. de condit. & demonstr.* nec tempus inspiciatur, in quo nuptiarum ætas personis, sed ex quo ipsa nuptiarum festivitas accedat, per *l. 24. C. de nupt.* Itaque pendente illa conditione expensæ nec *Contraria.*

 de-

debentur nec exigi possunt *l. 213. pr. de V. S. l. 4. §. 2. de pact. l. 41. de condit. & demonstr.* sique ante eventum conditionis ex errore fuerint solutæ, tanquam indebitæ possunt condici. *l. 16. l. 18. de Condict. indeb.* Sin mors vel aliud nuptiarum impedimentum intervenerit, promissio legatumve expirat, nec ulla spes ad heredes transmittitur. *d. l. 71. §. 3. de condit. & demonstr.* Carpz. *2. c. 46. d. 20. n. 8. seq.* Inde rectè asseritur, quod reservata à venditoribus in nuptias liberorum, vulgò das Eingeschnittel oder Zubereiß / defunctis his ante nuptias, heredibus eorum haut deferantur, sed ipsis emtoribus cedant, Andr. Rauchbar. *1. q. 38.* Carpz. *2. c. 46. d. 21.* Cessante enim causa finali, quæ hîc in nuptiarum apparatu consistit, effectus quoque, sive ipsa obligatio ad expensas promissas præstandum, expirat. *C. cum cessante 60. de Appell.* Carpz. *d. l. n. ult.*

TH. XXXVIII.

Neque verò qualicunque conjunctione hæc conditio impletur, sed tali, quæ Legibus approbata & nuptiali pompa celebritateque digna est *l. 10. pr. de condit & demonstr. §. 12. Inst. de nupt.* Sic non paret conditioni, qui, antequam ad legitimam ætatẽ pervenit, nuptias contrahit, inde non antè ei debebuntur nuptiales expensæ, quam pubes nubilisvè esse cœperit *arg. d. l. 10. pr. l. 30. quand. dies leg. vel fid. l. 4. de rit. nupt. l. 3. de j. dot.* neq; poterit eas ad heredem transmittere, si in hoc intempestivo matrimonio intraque impubertatem decedat. *l. 54. & l. 120. de R. J.* Neque 2. is eave conditionem implet, qui quævè ei conjungitur, cujus nuptiis ei interdictum est *d. l. 10. pr. de cond. & dem.* Hujusmodi enim matrimonium ipso jure nullum est, nec quempiam sortitur juris effectum *§. 10. Inst. de nupt.* nisi fortè per dispensationem Principis obstaculum removeatur & licita sic efficiatur nuptiarum celebritas. Planè si qui ante impetratam dispensationem contra Legum prohibitiones coierint, indigni sunt, quibus nuptialis quædam pompa (quæ maximè hodiè in solemni ad templum deductione atque nupt. Convivio consistit) concedatur: quippe quâ & illis interdici solet, qui quidem honestè conjungi non vetantur, sed tamen ante sacerdotalem benedictionem minùs

minùs castè vixerunt & vagâ libidine sibimetipsis maculam attraxerunt. Siquidem hî ut scandalum evitetur, sæpissimè in ædibus privatis, vel, si fortè metus subsit, ne altera pars matrimonii consummationem detrectet atque aufugiat, in Consistorio, quin & in ipso non rarò Prætorio ac foro politico à ministro Ecclesiæ copulantur, Vid. Carpz. *2. Consist. 150. add. def. 146. & seq.*

Th. XXXIX.

Restat adhuc, ut paucula de *sumtibus Conviviorum Sponsaliorum*, quæ scil. tempore sponsaliorum, quibus mutua futurarum nuptiarum fit repromissio, peraguntur, subnectamus. Vocantur hæc etiam *sponsalia* simpliciter, ùt Cicer. *in Epist. 6. ad Q. Fratrem: ad VIII. Id. April. Sponsalia Crassipedi præbui, huic convivio Quintus tuus defuit.* Nobis Heurathmahl / Verlöbniß / Verlöbniß-Essen. Et hæc Convivia non minùs, ac Nuptialia, antiquissimis temporibus usitata fuisse, probant ex *Gen. 24, 54.* ubi Laban & Bethuel post desponsationem Rebeccæ servum Abrahæ convivio exceperunt *vescentes pariter pariterq; bibentes* & *Tob. 7, 17.* Hildebrand. *de nupt. veter. Christian.* & Stuck. *l. 1. Antiquit. Convivial. c. 24.* ubi etiam de Græcorum atque Romanorum Sponsalitiis prolixè agit. Apud nos quoque Germanos ea frequenti sunt in usu, ac noctu potissimùm agitari solent, eodem die, quo sponsalia fuerunt contracta. Plerumque autem in sponsæ ædibus, ubi & sponsalia fieri consueverunt, epulæ sponsalitiæ, & quidem ipsius sponsæ hujusve parentum impensis, exhibentur, atque ad eas vocantur proximi sponsi sponsæque consangvinei atq; affines, nec non quibusdam in locis, præprimis apud rusticos, Pastores Ecclesiæ, vel alii honesti viri, qui sponsalibus interesse fuerunt rogati. Ut verò modus & hic servetur, sereniss. Elect. Sax. in suprà laudata *Ord. Polit. tit. 13.* arctiores quosdam limites posuit, & transgressores severissimè à Magistratu puniendos præcepit. Vid. etiam hanc in rem Gothaische Landes-Ordnung. *p. 3. N. 28.* Cæterùm quod de expensis nuptialibus suprà diximus, eas regulariter non conferri post mortem parentis in communem hereditatem, illud quoque de expensis in Con-

Assat.

vivium

vivium sponsalitium à parente factis, asserendum est, ob paritatem rationum, quas suprà adduximus. Ita respondit Facult. Jurid. Lipf. A. 1613. d. 8. Sept. apud Finckelth. *Obs. 66. num. 7.* Aliud autem dicendum est de arrhâ sponsalitia, quæ tempore sponsaliorum personis desponsatis dari solet. Carpz. *3. c. 11. d. 12.*

Atque hæc pro instituti ratione de præsenti materia disseruisse sufficiant. Interim B. L. eâ, quâ par est, observantiâ atque humanitate rogito, ut, quæ minùs accuratè à me sunt tradita, æqui bonique consulere, meque suo favore & adfectu non indignum judicare dignetur.

D. T. O. M. S. L. H. E. G.

QVilibet in mensas quantos expendere sumtus
Connubium instaurans debeat, IPSE doces.
Qui facis in docilem modica haud impendia mentem,
Restituet cornu divite sacra Themis,
Tempora cum dibapho cinget, Spartaque beabit
Te, sumtusque, quibus Martha paranda, feret.

f. l. m. q.

PRÆSES.

SUMTUS NUPTORUM pertractans præmia quænam
Appetis? en Sacræ THEMIDIS petis OSCULA; nonne?
Auguror. HANC ulnis optatam amplectere sponsam,
ALTERA mox addet cum SUMTIBUS oscula sponsa.

Ita ex animo gratulatur Cl. Dn. Autori Respondenti, Compransori suo svavissimo, Fautori & Amico æstimatissimo

Jo. Christoph. Hartung/Phil. & J. U. D.



)(o)(